DE CAUSA SP. CASSII

DISPUTAVIT

EUGENIUS HERODES.

Causam Sp. Cassii, quamvis a multis jam doctisque hujus saeculi rerum Romanarum scriptoribus tractata sit, denuo in quaestionem vocare haud supervacaneum erit, propterea quod pars eorum Niebuhrium secuti falsis in re judicanda propositionibus usi esse videntur, pars rem difficilem et obscuram explicari et illustrari posse plane desperaverunt.[1]) Atque Niebuhriani quidem cum nimiam suspicionem de veterum auctorum fide commoverent ut Livii Dionysii aliorum, qui non modo ea, quae in vetustissimis historiae Romanae annalibus tradita fuissent, non satis intellexissent ideoque in suis narrationibus commutassent, sed interdum ne veriti quidem essent, si qua in re libri se deseruissent, nova comminisci, ipsi in similibus vitiis versati sunt atque illi quos vituperaverunt. Nam et ipsi, cum Niebuhrii auctoritate nimis commoverentur, non modo quae certorum testimoniorum fide caruerunt, sed etiam quae totius antiquitatis consensu memoriae prodita sunt, pro falsis contempserunt rejeceruntque et pro rebus traditis novas confinxerunt. Quod cum in alias res multas, tum maxime in causam Sp. Cassii cadit.

Sed antequam errores de causa Sp. Cassii vulgatos refutare coner (propositum autem mihi est tertium Sp. Cassii consulatum quaeque insequuntur accuratius

---

[1]) cf. Levisii quaestiones (Untersuchungen über die Glaubwürdigkeit der altrömischen Geschichte von Sir George Cornwall Lewis . . . Deutsche Ausgabe von F. Liebrecht), qui II vol. p. 111 de hac re in hunc modum verba facit: Erwägt man indess die Unsicherheit, welche selbst in Zeiten isochronistischer Geschichte . . . . hinsichtlich der Motive von Staatsverbrechen herrscht, so scheint es unmöglich, in Betreff des Cassius sich irgend ein begründetes Urtheil zu bilden, da selbst Thatsachen wie die Art seiner Verurtheilung und Hinrichtung auf verschiedene Weise erzählt werden, und es doch unmöglich ist, dass seine Zeitgenossen nicht gewusst haben sollten, ob ihn das Volk richtete und verurtheilte, oder ob ihn sein eigener Vater nach einem Verhöre im Senate ums Leben brachte.

tractare, ea vero quae antecedunt tantummodo quoad ad tertium consulatum pertinent attingere) enarrabo, quae a veteribus de Sp. Cassio commemorata sunt, ut lectoribus curiosis innotescant, initiumque a Livii et Dionysii operibus, in quibus continua est rei explicandae expositio, faciam prolatis in posterum, quae disperse ac temere apud varios scriptores inveniuntur.

Atque primam Livius et Dionysius Sp. Cassii[2]) mentionem faciunt[3]), quo loco consulem eum anno 252 a. u. c. triumphantem e bello rediisse tradunt, ea tantum re inter se discordantes, quod Livius de Auruncis, Dionysius de Sabinis triumphatum esse putat.

Deinde eum primi dictatoris magistrum equitum fuisse constat.[4])

Secundum consulatum, quem anno 261 a. u. nactus est, Sp. Cassius per secessionem plebis in montem sacrum factam iniit[5]), quam ob rem postea gloriatus est, se seditione civili sedata plebem in patriam reduxisse.[6]) Eodem anno a Sp. Cassio foedus cum Latinis ictum est; quod in qua incisum et perscriptum fuisset columnam aeneam in foro superfuisse prope ad finem reipublicae liberae Rom. ex Livii dictis colligere licet.[7]) Quod foedus etiam Dionysius commemoravit addiditque, quod a Livio praetermissum est, haec in eo foedere fuisse constituta: 1) Romanis et omnibus Latinorum urbibus pax esset, dum coelum et terra in eodem loco futura essent; neve aut ipsi bellum inter se gererent aut aliunde hostes accerserent aut iis qui bellum inferrent tutum iter praeberent; 2) alteris si bellum esset illatum alteri universis viribus auxilium ferrent; 3) praedae quodque communi bello partum esset, ejus aequam utrique partem sortirentur; 4) de rebus inter privatos contractis judicia intra decem dies fierent in eo oppido, ubi contractae essent; 5) neve quid huic foederi addere aut demere liceret, nisi ex communi omnium Romanorum et Latinorum consensu.[8])

Liceat mihi hoc loco in citandis auctoribus paullulum subsistere, ut dicam quid de Dionysii foedere Cassiano sentiam. Atque eum non omnia, quae in columna aenea insculpta essent, transscripsisse, ita ut verbum pro verbo redderet, et ex eo

---

[2]) De cognomine ejus cf. quae Mommsenius in disput. de gentibus Roman. patriciis [Römische Forschungen Berlin 1864] pag. 107. n. 82 adnotavit, ubi verisimile facit cognomen fuisse Vecellinus. Apud Livium cognomen Cassii nusquam invenitur, apud Dionysium nonnisi V c. 49, ubi libri mscr. *Οὐσκελλῖνος* exhibent. cf. Kiesslingii in editione Dionysii adnot. critic. p. XXV in hunc locum.

[3]) Liv. II c. 17. Dionys. V c. 49.

[4]) Liv. II c. 18. Dionys. V c. 75.

[5]) Liv. II c. 33. Dionys. VI c. 49. Idem Cicero de rep. II c. 33, 57 confirmat.

[6]) Dionys. VIII c. 70.

[7]) Liv. II c. 33. res confirmatur a Cicerone pro Balb. 23, 53. cf. Schwegleri hist. Rom. vol. II pag. 307, n. 1.

[8]) Dionys. VI c. 95.

verisimile est, quod, etiamsi quis foederis amplitudinem modicam fuisse credat, tamen ea minor est, quam ut eam Romani homines in jure legibusque scribendis sollicitissimi ac religiosissimi probasse credibile sit, et duo apud Festum foederis fragmenta[9]) declarant; e quibus est colligendum, in foedere illo de rebus non in universum actum, sed singula quaeque copiosissime et accuratissime perscripta fuisse. Attamen dubitari non potest, quin, quae a Dionysio tradita sint, summam totius foederis contineant, praesertim cum e columna aenea, ut supra demonstratum est, ad finem rei publicae liberae integra foedus antiquarios transscripsisse, Dionysium autem historicum diligentissimum eorum opera inspexisse verisimillimum sit.

Singulas partes, in quas foedus a Dionysio traditum supra distribuimus, adnotationibus illustrare non opus erit, cum per se ipsae sint perspicuae. Hoc tamen adnoto, in tertia parte foederis, ubi de praeda communi bello parta dividenda agitur, non modo de iis, quae rapi exportarique possent, sed etiam de urbibus agrisque ex hostibus capiendis cogitatum esse. Fuit enim illo tempore Romanis Latinisque cum Volscis, qui imperium suum in eorum fines proferre conabantur, bellum; itaque si quis ager ex Volscis caperetur, eum et Latinis et Romanis pariter dispertiri aequum erat.[10])

De foedere Latino haec essent hactenus, nisi apud Dionysium complures invenirentur loci, quibus illo foedere Latinis *ἰσοπολιτείαν* vel etiam *πολιτείαν* datam esse narratur et Latini *πολῖται* appellantur.[11]) Itaque necesse est quaeramus, quid Dionysius illis verbis significare voluerit. Atque *ἰσοπολιτεία* apud Graecos quid significaverit, bene docet Boeckhius[12]): „*ἡ ἰσοπολιτεία*, inquit, ab *ἰσοτελείᾳ* aut nihil aut non multum differt, nec confundenda est cum *πολιτείᾳ*, sed eam habet vim, ut peregrinus pari ferme cum civibus fruatur jure, non tamen civis sit; *ἰσοπολίτη* enim non magis quam *ἰσοτελεῖ* jus suffragii multoque minus magistratuum capessendorum fuit.“ Eandem autem atque apud caeteros Graecos etiam apud Dionysium illud verbum *ἰσοπολιτείαν* vim habuisse consentaneum est. Nam ut de honoribus nihil dicamus (cui enim non in mentem veniat, quanta T. Manlius Torquatus consul et senatus populi Romani ira exacerbati fuerint, cum postea praetor Latinus flagitasset, ut alter de Latinis consul fieret): ne suffragii quidem jus Latinos eo foedere adeptos esse pro certo habendum est. Immo vero ipse Dionysius non plus quam semel toto post foedus a Cassio factum temporis spatio Latinos suffragia Romae ferre jussos esse tradit,

---

[9]) Fest. ed. Mueller p. 166. s. v. Nancitor.

[10]) Dionys. VIII c. 77. in edit. Reiskii p. 1696, l. 8.

[11]) *ἡ ἰσοπολιτεία* commemoratur Dionys. VII c. 53. VIII c. 53. 70. 72. 74. 76. 77. XI, 2; *πολιτεία* et *πολῖται* VIII c. 77 pag. 1695 l. 7 et 12; c. 69; locis proxime citatis de Hernicis agitur, qui eodem ac Latini jure fuerunt.

[12]) Corp. Inscr. Vol. 1 p. 732.

id vero per injuriam ac vim tentatum esse credit;[13]) caeteri vero scriptores tacendo demonstrant, nullum fuisse Latinis in urbe Roma jus suffragii. Idem T. Annii apud Livium [14]) orationes comprobant, in quibus cum multa de ratione foederis, quae inter Romanos Latinosque intercesserit, dicantur, ne sagacissimus quidem quisquam ulla juris suffragii vestigia indicare possit. Quae orationes eo pluris nobis sunt ducendae, quod illud belli Latini (a. 415 a. u.) tempus ex tenebris mythicis aliquantulum jam evasit propiusque ad lucem historiae accessit et quod fieri non potuit, quin, si Latini jus suffragii habuissent, Livius in illis orationibus ejus rei mentionem facturus fuerit. Itaque cum Latinis Romae neque suffragia ferre neque honores petere licuerit, reliquum est, ut Latinis ut *ἰσοπολίταις* jura commercii et conubii concessa fuisse credamus. Atque de jure commercii ne dubitemus, satis erit tertiam foederis partem intueri; conubium autem populo Romano cum Latinis ab antiquissimis temporibus fuisse constat;[15]) quam ob causam Dionysius rem pernotam in argumento foederis supra a nobis reddito omisisse videtur. Quattuor igitur cum essent civitatis Romanae jura, honorum, suffragii, conubii, commercii, apparet, alteram partem Latinos non habuisse, honores ac suffragia, alteram habuisse, conubia et commercia. Itaque quid *ἰσοπολιτεία* significet, jam manifestum est. Sed etiam alia difficultas inde oritura visa, quod Dionysius Latinos *πολίτας* appellavisset, hac disputatione sublata est. Nam cum apud Romanos usitatum esset, inter civitatem cum suffragio et civitatem sine suffragio discrimen facere,[16]) Dionysio, quamvis aliis locis isopolitarum nomen usurpasset, Latinos, cum conubia et commercia, non suffragia haberent, politas vel cives (sc. sine suffragii latione) appellare licuit.[17])

Sed jam ad propositam narrationem redeamus, quaeque scriptores de tertio Sp. Cassii consulatu tradiderunt, audiamus. Atque Livii cum narratio perbrevis sit, propria ejus verba hic collocare satius erit quam excerpendi compendio rem obscurare. „Sp. Cassius, inquit,[18]) deinde et Proculus Verginius consules facti. (a. 268 a. u.) Cum Hernicis foedus ictum, agri partes duae ademptae. Inde dimidium Latinis, dimidium plebi divisurus consul Cassius erat. Id multos quidem patrum, ipsos possessores periculo rerum suarum terrebat, sed et publica patribus sollicitudo inerat, largitione consulem periculosas libertati opes struere. tum primum lex agraria promulgata est, numquam deinde usque ad hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata. Consul alter largitioni resistebat auctoribus patribus nec omni plebe adver-

---

[13]) Dionys. VIII c. 72: *ἐπραγματεύετο καὶ χειροκρατίᾳ κυρῶσαι τὸν νόμον καὶ μετεπέμπετο Λατίνων τε καὶ τῶν Ἑρνίκων ὅσους ἐδύνατο πλείστους ἐπὶ τὴν ψηφηφορίαν.*

[14]) Liv. VIII c. 4 et 5.

[15]) Strabo V, 3, 4, p. 231. Dionys. VI c. 1.

[16]) Liv. VIII c. 14. IX c. 43.

[17]) cf. Liv. IX c. 45, ubi civitas per breviloquentiam dicitur pro civitate sine suffragio.

[18]) Liv. II c. 41.

sante, quae primo coeperat fastidire: munus vulgatum a civibus esse in socios; saepe deinde et Verginium consulem velut vaticinantem audiebat pestilens collegae munus esse, agros illos servitutem illis, qui acceperint, laturos, regno viam fieri; quid ita enim adsumi socios et nomen Latinum? quid attinuisse Hernicis, paullo ante hostibus, capti agri partem tertiam reddi, nisi ut eae gentes pro Coriolano duce Cassium habeant? Popularis jam esse dissuasor et intercessor legis agrariae coeperat, uterque deinde consul ut certatim plebi indulgere. Verginius dicere passurum se assignari agros, dumne cui nisi civi Romano assignentur; Cassius, quia in agraria largitione ambitiosus in socios eoque civibus vilior erat, ut alio munere sibi reconciliaret civium animos, jubere pro Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo; id vero haud secus quam praesentem mercedem aspernata plebes; adeo propter suspicionem insitam regni, velut abundarent omnia, munera ejus in animis hominum respuebantur. Quem, ubi primum magistratu abiit, damnatum necatumque constnt. Sunt qui patrem auctorem ejus supplicii ferant: eum cognita domi causa verberasse ac necasse peculiumque filii Cereri consecravisse; signum inde factum esse et inspriptum „ex Cassia familia datam.“ Invenio apud quosdam, idque propius fidem est, a quaestoribus Caesone Fabio et L. Valerio diem dictam perduellionis, damnatumque populi judicio, dirutas publice aedes. Ea est area ante Telluris aedem. Ceterum, sive illud domesticum sive publicum fuit judicium, damnatur Servio Cornelio Q. Fabio consulibus. (Cap. 42.) Haud diuturna ira populi in Cassium fuit. Dulcedo agrariae legis ipsa per se dempto auctore subibat animos.“ Satis sit verborum Livii; hoc tamen addendum est, eum multa de contentionibus inter patres et plebem per triginta annos insequentes de lege agraria factis referre; [19]) de eo vero pertuleritne legem Sp. Cassius suam (id quod, quia tribuni plebis in divisione agri publici perseverantes consulibus ei rei maxime adversariis apud plebem diem dixerint eosque multaverint, multi arbitrantur historici), idoneo infra loco disputabitur.

Jam vero Dionysium audiamus, qui de tertio Sp. Cassii consulatu copiose et abundanter disseruit; cujus cum narratio longior sit, quam ut eam propriis auctoris verbis reddere possimus, argumentum ejus narrationis proponemus. Itaque Sp. Cassius, cum tertium consul factus esset, in fines Volscorum et Hernicorum rebellantium exercitum duxit; et cum neutri pugnandi causa in campum descendere ausi essent, Volscis petentibus pacem dedit; cum Hernicis autem eandem petentibus, postquam senatus ei non modum pacis, sed etiam foederis ineundi fecit potestatem, foedus junxit. (VIII, cap. 68.) Redeunti autem e bello consuli non modo triumphus qui invitis patribus agebatur, sed etiam foedus cum Hernicis ictum magnam invidiam conflavit. Ejus autem foederis condiciones ex Latinorum foedere erant transcriptae; itaque consul, quae commoda Latinis Romanorum cognatis praeberi aequum fuisset, eadem Hernicis hominibus alienigenis quique nihil de Romanis bene meriti essent

[19]) Liv. II c. 42. 43. 44. 47. 48. 52. 54. 58. 61. 63. 64. III c. 1. (9.)

projecisse visus est. Praeterea hoc famae consulis obfuit, quod pacis condiciones non de communi patrum sententia, sed suo arbitratu fecerat. At Cassius, fortuna obcaecatus, cum regnum affectaturus esset, in animum induxit agrum publicum plebi dividere; cum vero ejus favorem sibi conciliare non satis haberet, usque eo temeritatis processit, ut etiam Latinos Hernicosque nuper civitate donatos in communionem agrorum invitaret (cap. 69). Quae cum moliretur multitudine ad concionem convocata gloriatus, sese Sabinos devicisse et Volscos, plebem Romanam de monte sacro domum reduxisse, Latinorum denique et Hernicorum cum Romanis amicitiam foederibus firmasse, pollicitus est, tanta sese in plebem beneficia collaturum esse, quanta neminem antea. Postridie autem ejus diei consul cum in curia de divisione agri publici ad senatum referret, multa disseruit de iis, quae plebis essent erga communem patriam et in asserenda libertate et in parando in alios imperio bene merita; itaque senatui placeret, agrum bello captum, qui verbo quidem esset publicus, re ab impudentissimis de patrum ordine viris sine ullo jure occupatus, plebi dividere et frumenti a Gelone, Siciliae tyranno, sibi dono missi (quod cum magistratus gratis debuissent omnibus civibus dividere, pauperes emerant) pretia emptoribus ex aerario reddere (cap. 70). Quae cum Cassius referret, magnus in senatu tumultus excitatus est, quia patres et maxime quidem alter consul Verginius et App. Claudius legem a Cassio promulgatam aspernabantur. Et civitas in duas partes distracta est, cum inopes ac sordidi Cassium, nobiles vero et honesti viri Verginium sequerentur. Quae cum ita essent, haud parva rerum mutatio facta est, cum tribuni plebis ad arbitrium senatus se accomodarent et in concionibus Sp. Cassio quam maxime poterant, adversarentur, plebem docentes, non aequum esse res Romanas etiam Latinis Hernicisque dividi. Cassius autem tribunos accusabat, quasi plebem proderent, cum ipse socios ideo participes agrorum facere vellet, ut facilius legem perferret neve ea postea quiret rescindi (cap. 71). Itaque cum plebs incerta animis modo huc modo illuc fluctuaret, Rabulejus tribunus pl. Cassio persuadere conatus est, ut eam partem in lege agraria, quae ad socios (Latinos Hernicosque) pertineret, abrogaret; quae reliqua essent legis, ea tribunis probatum iri pollicitus. Sed quamvis Verginius alter consul cum tribunis consentiret ac multitudo ei plauderet, Cassius sententiam non mutavit; neque jam in forum veniebat sed domi se continens id agebat, ut legem per vim perferret. Itaque Latinos Hernicosque quam plurimos potuit Romam proficisci jussit, ut ipse eorum suffragiis plus valeret quam inimici. Et hospites cum frequentes Romam venissent, alter consul Verginius eos ex urbe excedere jussit, alter Cassius ut ‚isopolitas' permanere, donec lex perlata esset (cap. 72). Sed cum res prope ad arma venisset, senatus est convocatus. Tum vero App. Claudius, primus sententiam rogatus, cum legem Cassiam a senatu probari posse negasset, postremo haec suasit: ut ex senatoribus illustrissimus quisque eligeretur, qui agrum publicum terminaret et si quam ejus partem aut clam aut vi a privatis depasci aut coli sensisset, rei publicae redderet; agri autem ab iis terminati partem venderent, partem in quin-

quennium locarent; unde quidquid pecuniae redactum esset, id in militum stipendia impenderent (cap. 73). Deinde qui sententiam rogatus est, A. Sempronius Atratinus, postquam orationem App. Claudii laudavit, haec addidit: Hernicis Latinisque propterea nullam partem agri publici tunc deberi, quod Romani eum suo Marte nullis adjuvantibus sibi paravissent et jam pridem obtinerent, Latinos autem Hernicosque nuper demum in amicitiam recepissent; itaque sociis responderent: „quidquid aute foedus ictum cuique populo agri fuisset, id oportere ei manere; quidquid vero agri, postquam foedus fecissent, communi bello hostibus ademptum esset, ejus agri unumquemque populum partem, quae sorte ei obtingeret, accepturum esse;" ita ne socios quidem rem moleste laturos. Plebi vero, ne postea seditiosis tribunis aures praeberet, a senatu agri, quos Verginius consul assignatum iri promisisset, darentur; itaque decemviri, quibus agri publici terminandi cura data esset, partem separarent, quae in quinquennium locaretur, reliquam vero partem hominibus plebejis dividerent sive omnibus sive iis tantum, qui nullam agri portionem haberent, sive iis, quorum census esset minimus. Totius autem rei procurationem, quia anni jam non multum superesset, insequentis anni permitterent consulibus (cap. 74 et 75). Quae cum Sempronius dixisset, ab omnibus magnopere laudatus est. Senatusconsultum autem ejusmodi factum est: ut decem viri ex consularium numero natu maximi crearentur, qui agro publico terminato pronunciarent, quanta ejus pars locaretur, quanta plebi divideretur; isopolitis vero sociisque, si quis ager communi bello postea partus esset, sua cuique ex foedere portio daretur; decemvirorum vero creatio, agrorum divisio et reliqua sequentibus consulibus curae essent. Quod cum senatusconsultum ad populum relatum esset, plebs Cassio favere desiit neque gliscens jam inopum seditio ulterius progressa est (cap. 76). Anno vero sequenti Q. Fabio et Ser. Cornelio coss. Caeso Fabius et L. Valerius Poplicola, juvenes patricii omnium nobilissimi, cum quaestores creati essent, Sp. Cassium regni affectati crimine apud populum accusarunt. Itaque cum ad diem dictam magna hominum turba confluxisset, graviter in Cassium invecti sunt, primum quod non modo Latinis sed etiam Hernicis, genti armis devictae, et civitatem dedisset et tertiam utrisque partem ejus agri, quem Romani capturi essent, antea jam quam cepissent largitus esset, ita ut Romanis ipsis non plus quam tertia pars superfutura esset (cap. 77). Praeterea dixerunt, eum cum bona civitatis publicare sibi proposuisset, neque ex senatusconsulto neque e collegae consensu, sed per vim legem perferre conatum esse; quippe qui, cum legem a senatu antea permitti oportuisset, neglecta senatus et collegae auctoritate plebem illud beneficium sibi uni debere voluisset. Quid, cum etiam Latinis Hernicisque agri publici pop. Rom. tertiam cuique partem daturus fuisset et ne a tribunis quidem plebis, non modo a collega et senatu moveri potuisset, ut hanc suae rogationis partem tolleret; proximis diebus rem jam ad vim spectasse, cum Cassius a Latinis Hernicisque pecunias accepisset, arma comparasset, clandestinos coetus habuisset. Quas res cum quaestores multos ingenuos viros et de sociis et de civibus ad testandas

vocassent, populus neque oratione rei commotus neque tres liberos ejus clementiam populi implorantes commiseratus Sp. Cassium capitis damnavit. Quaestores autem reum cum ad rupem foro imminentem duxissent, de saxo praecipitaverunt. Hoc enim supplicium de iis, qui capitis damnati erant, eo tempore sumebatur (cap. 78). Haec autem, quae de Cassio narrantur, Dionysio magis probantur quam alia, quae tamen et ipsa, quia ab auctoribus gravibus tradita essent, praetermittere noluit. Fuerunt enim, qui dicerent, patrem Sp. Cassii, cum filii consilia regni affectandi perspexisset et accuratissime perquisisset, rem ad senatum detulisse et, cum filium in curiam venire jussum accusasset et senatui reum in ea culpa esse persuasisset, filium domum duxisse ibique morte affecisse. Id vero, quamvis de patrum apud Romanos potestate supplicii capitis de filiis sumendi dubitari non possit, quomius credamus, haec obstant, primum quia post Cassii mortem et aedes ejus solo aequatae et ad hunc usque diem area vacua sub dio relicta est extra Telluris aedem, quam postea populus Romanus in quadam ejus parte exstruxit, in via quae ad Carinas fert; deinde quia bona ejus publicata sunt, unde cum in aliis templis primitiae diis dicatae tum etiam Cereri aeneae statuae cum inscriptione, quae declarat, quorum illae primitiae sint bonorum. Itaque si pater Sp. Cassium accusasset et puniisset, neque ejus domus diruta neque bona publicata essent. Apud Romanos enim filii patribus vivis nihil proprii habent, sed et re familiari et corporibus filiorum suo arbitratu uti patribus permissum est (cap. 79). Sed cum inimici Cassii etiam ejus filios interficiendos esse censerent, senatui haec sententia nimis atrox est visa. Itaque iis et vitam et libertatem concedere neque ullam poenam injungere placuit. Qui mos, ut ne filii delicta patrum immeriti luerent, inde ab eo tempore apud Romanos valuit (cap. 80). Post Cassii autem mortem optimates audaciores facti plebem despicere coeperunt; homines vero egeni et obscuro loco nati animos demiserunt et ut optimo plebis propugnatore amisso dementissimi sui judicii memoria summo luctu affecti sunt. Cujus rei haec erat causa, quod consules senatusconsultum de agro dividendo non exsequebantur. Et multitudo prioris anni tribunos pl., quasi rem publicam prodidissent, accusabat; ii autem, qui tunc erant tribuni pl., crebras conciones habebant et ut promissa plebi solverentur efflagitabant (cap. 81). Sed neque ejus anni neque insequentium annorum tribuni pl. a patribus impetrare potuerunt, ut agri publici divisio fieret. Immo per triginta annos contentio de re agraria inter patres et plebem facta est. (X c. 35).

Haec sunt, quae Dionysius de causa et damnatione Sp. Cassii exposuit. Itaque cum duae sint narrationes, in quibus de tertio Cassii consulatu conserte contexteque agitur, quaeritur quae ratio inter eas narrationes intercedat. Atque hoc quidem apparet, Livium et Dionysium, quamquam alter rem parcissime, alter copiosissime tractaverit, de rebus plerisque et gravissimis inter se consentire; in reliquis autem (praeterquam quod Livius in commemorando foedere cum Hernicis

icto erravit, id quod infra demonstrabimus) verbosam Dionysii narrationem Livio non repugnare, sed quae apud eum desint supplere. Quamquam ne nos quidem dubitamus, quin orationes, quas Dionysius protulerit, A. Sempronii App. Claudii aliorum aut ab ipso aut ab aliis ficta sint; id quod in plurimas in Dionysii operibus orationes cadit. Hoc tamen est tenendum, nihil ferme Livium et Dionysium de causa Sp. Cassii inter se dissentire. Quae cum ita sint, colligendum est, duos illos auctores, cum suam quisque rem ipse tractaret neque alter alterius operibus uteretur, res gestas Sp. Cassii ita enarrasse, ut ipsi a veterioribus rerum Romanorum auctoribus accepissent; et si in quibusdam rebus erraverint aut eas res vel alias vel verba quaedam prave intellexerint aut explicaverint, ea vitia non ipsis tribuenda esse sed veterioribus illis scriptoribus. Scilicet vix credendum est, duos homines prudentes in eadem vitia incurrere, nisi ab aliis ad ea compellantur. Itaque si Livium et Dionysium antiquam vocis 'populi' significationem non novisse verum esset, inde concludendum esset, ne veteriores quidem illos eum usum novisse; vel si Sp. Cassium voluisse partem agri publici Latinis Hernicisque dare aut temere aut consulto false excogitatum esset, aut errorem hunc aut mendacium hoc non a Livio Dionysioque, sed a veterioribus commissum esse pro certo esset habendum. Illi vero veteriores et ipsi ab aliis, qui antea libros conscripserunt, rem acceperunt, ut ne ita quidem constet, quis ignorantiae, erroris aut mendacii auctor fuerit. Priusquam igitur talia veteribus auctoribus exprobremus, ut Niebuhrius ejusque secta Schweglerus Peterus alii fecerunt (conjecerunt autem, non demonstraverunt), quaerendum est, ex quibus fontibus tota Sp. Cassii historia effluxerit. Ac primum quidem columnam, in qua foedus cum Latinis ictum perscriptum esset, ad finem liberae rei publicae Romanae superfuisse, jam supra demonstravimus; quae columna eademne fuerit, quam ipse Sp. Cassius exstruxisset, an nova, quam, cum prior incendio a Gallis in urbe facto absumpta esset, foederis exemplo a Latinis repetito exstructam esse verisimile est, pro certo jam nemo potest confirmare. Praeterea signum, in quo illud „ex Cassia familia datum" inscriptum esset, ante oculos majorum adhuc fuisse Livius dicit; eodemque signo Dionysius pro testimonio utitur. Addit, homines memoria retinere, quo loco aedes Cassii fuerint; vacuum enim eum locum relictum esse. Praeter haec monumenta, quae nomen Sp. Cassii ex hominum memoria excedere prohibebant, etiam libros pontificum et libros linteos nomen ejus commemorasse credibile est. In iis vero exilia tantum et jejuna rerum argumenta fuerunt; ex quo consequens est, ex aliis fontibus meliorem historiae Sp. Cassii notitiam veteribus apertam esse. Atque cum litterarum usus in vetustate apud Romanos rarus esset, paucas admodum et clarissimas gentes commentarios habuisse constat, quibus egregia gentilium facinora posteris proderent. Itaque si quaerimus, quae post reges exactos clarissimae apud Romanos gentes fuerint, dubitare non possumus, quin Valerii et Fabii caeteras gentes gloria superaverint. Nam si quis fastos antiquissimorum temporum rei publ. Romanae perleget, aliam nullam

gentem tot consulatus aliosve magistratus consecutam esse inveniet. Quid, cum Fabii per septem deinceps annos alterum e sua familia consulem rei publicae dederint, cum bellum in Vejentes pro republica susceperint privatum? Jam vero de gente Valeria quis ignorat Publicolam illum rem publicam domi militiaeque optime gessisse, alium Valerium decemviros coegisse, ut magistratu se abdicarent! Itaque hanc utramque gentem, quae gratia atque opibus eo tempore in civitate floreret, commentarios habuisse rerum a suis gentilibus gestarum consentaneum est. Quibus in commentariis Sp. Cassii mentionem factam esse verisimillimum est, primum quod eorum, qui Sp. Cassium accusaverunt, quaestorum alter de gente Fabia, alter de Valeria fuit h. s. Caeso Fabius et L. Valerius;[20]) deinde quod septem illi Fabiorum consulatus (268—275 a. u.) consulatui Sp. Cassii sine intervallo continuati sunt, tum quod Fabii, viri impavidi, ad animos plebejorum a Sp. Cassio excitatorum comprimendos creati sunt. Atque cum alter Fabius Sp. Cassium apud populum accusasset, alter tum consul fuisset, tota denique gens Fabia seditionem plebis, quam Sp. Cassius excitavisset, per septem annos sese profligasse gloriata esset, quis est qui dubitet, quin in commentariis Fabiorum potuerit accuratissime ac verissime enarrari, qualia fuissent ea, quae rogatio Sp. Cassii contineret, qua de causa et a quibus damnatus esset, qualem animum plebs in eum gessisset. Sed interest inter id, quod potuit fieri et id quod factum est. Itaque ne accuratissime res gestas a Sp. Cassio a Fabiis perscriptas esse credamus, illa in commentariis vetustatis exilitas et jejunitas, de qua supra jam diximus, obstat. Quid vero est, cur dubitemus, quin, quantulacunque Fabii de Sp. Cassio memoriae prodiderint, ea vera et fide digna sint. Nam etiamsi quid a Fabiis in Sp. Cassium aut in plebem injuste factum esse constaret, hanc eos invidiam subituros, non a sese remoturos fuisse credendum est; nedum mendacio eos plebis animos sibi reconciliasse suspicemur. Superba enim, non benigna in plebem aut popularis unquam patricia fuit Fabiorum gens; testes sunt, ut alios omittam, Rullianus et Cunctator, quorum uterque rumores multitudinis sprevit. Itaque, quae de Sp. Cassio nobis tradita sunt, eorum maxima pars ex Fabiorum commentariis repetita et fide digna sunt. Valeriorum vero quod ad commentarios attinet, aliter se res habet. Ac primum Valerio Antiati, qui, sive ille ingenuus gentilis sive, quod vult Niebuhrius, cliens Valeriorum fuit, gentis Valeriae commentariis usus esse videtur, ne minimam quidem fidem haberi posse apud omnes doctos constat.[21]) Sed omniane, quae de ipsa Valeriorum familia ficta et falsa esse appareat, a Valerio Antiate annalium scriptore an multa ab aliis Valeriis, qui ante eum commentarios conscripserunt, ficta sint, ignotum est. Hoc tamen pro certo habendum est, historiam gentis Valeriae fabulis exornatam ac mendaciis refertam

---

[20]) Liv. II c. 41. 42. Dionys. VIII c. 77. IX c. 51.

[21]) cf. quae Schweglerus hist. Rom. I p. 90 sq. de Valerio Antiate collegit; id. II p. 8 et 110; praeterea cf. indicem totius operis s. v. Valerius Antias.

fuisse; quarum rerum qui est curiosus, Schwegleri inspiciat histor. Rom. II p. 8 sq. Cum vero Valerii gentis suae magnitudinem augerent, ejus maxime gloriae erant studiosi, ut populares atque plebicolae esse viderentur. Itaque traditum est, P. Valerium Publicolam, qui reges ex urbe in exsilium ejecit, primum plebi consuluisse gentique favorem populi conciliasse,[22]) alium Valerium non multo post dixisse jactantem, meminisse sese, populi colendi velut hereditariam curam sibi a majoribus traditam esse,[23]) eandem animi popularis gloriam fuisse in L. Valerio Potito, qui decemvirorum fuit inimicissimus,[24]) omnium vero Valeriorum Marcum illum cogn. Corvum plebis amantissimum fuisse;[25]) gloriatum enim esse, nondum Poplicolarum vetustum familiae suae cognomen memoria excessisse, semper se plebem Romanam colere atque coluisse.[26]) Itaque Valerios cum fama popularitatis sese celebrari vellent, e commentariis suis omnia, quae quaesitae gentis gloriae officerent, sustulisse verisimile est. Quin etiam commutasse eos id quod traditum esset credo; id quod Sp. Cassii historia comprobabit. Nam cum ira plebis in Sp. Cassium haud diuturna esset, plebesque damnationem ejus valde lugeret, L. autem Valerius is, qui quaestor Sp. Cassium accusavit, postea plebi invisus esset,[27]) licet suspicari, Valerios hanc invidiam a gente sua removere conatos esse. Cujus consilii vestigia manserunt. Qui enim factum esse censeamus, ut, cum reliqua de Sp. Cassio omnia uno eodemque modo memoriae prodita essent — quod supra jam docuimus — de damnatione rei duae superessent narrationes plane inter sese discrepantes. Quam discrepantiam qui ita tollunt, ut duas inter se narrationes conjungant, id quod in antiquitate Cicero, nuper Goettlingius fecit, rem magis obscurant quam illustrant.[28]) Immo dissensio illa inde facta est, quod, cum Sp. Cassium a Caesone Fabio et L. Valerio accusatum et cedente populo morte mactatum esse in commentariis Fabiorum recte ac vere traditum esset, Valerii commoti invidia rei commenti sunt, Sp. Cassium a patre in curia accusatum et consentiente senatu necatum esse. Itaque in vera traditione, quam alteri traditioni anteponendam esse jam Livius et Dionysius intellexerunt, omnia inter se optime congruunt et cohaerent. Quaestores enim eum perduellionis crimine accusasse et, cum populus reum capitis damnasset, morte

---

[22]) Liv. II c. 8. Dionys. V c. 19. Cic. de Rep. II c. 31, 54. Acad. Pr. II, 5, 13. pro Flacco I, 1, 2. Plutarch. Poplicol. c. 10. Val. Max. IV, 1, 1. Joh. Lyd. de Mag. I, 33, quo loco Publicola graeco verbo δημαγωγός vertitur.

[23]) Liv. III c. 18.

[24]) Liv. III c. 53 sq. Cic. de rep. II, c. 31, 54.

[25]) Liv. VII c. 26. 32. 33. X c. 9.

[26]) Liv. VII c. 32.

[27]) Liv. II c. 42. Dionys. VIII c. 87. IX c. 51.

[28]) cf. Cic. Rep. II c. 35, 60: Sp. Cassium de occupando regno molientem quaestor accusavit eumque, quom pater in ea culpa esse comperisse sese dixisset, cedente populo morte mactavit. Similiter Goettlingius: Gesch. d. Röm. Verf. p. 306.

mactasse traditum erat. Cujus traditionis veritas inde confirmatur, quod aedes Sp. Cassii publice dirutae sunt, quae quo loco fuerint area ante Telluris aedem vacua relicta indicabat et admonebat, et quod in aede Cereris signum superfuit, in quo perscriptum erat „ex Cassia familia datum;“ unde conclusio fieri potest et a veteribus facta est, bona ejus publicata et Cereri consecrata esse. Cereri enim, ut quae etiam dea infera esset ideoque Ceres infera vel profunda appellaretur, res familiares eorum, qui propter aliquod facinus commissum sacri essent, consecrare veteres solitos esse constat.[29]) Cassium autem propterea sacrum fuisse, quod legem violasset, quam Valerius Poplicola consul tulisset „de sacrando cum bonis capite ejus, qui regni occupandi consilia inisset“,[30]) verisimile est. Itaque cum fides alterius narrationis, quam ex commentariis Fabiorum deductam esse credimus, etiam area aute Telluris aedem vacua et monumento aeneo, quod magno temporis spatio integrum fuit, comprobetur, altera opinio, cujus Valerii fuerunt auctores, et per se ipsa dissolvitur et monumentis redarguitur. Ac primum quidem qui Sp. Cassium a patre necatum esse volunt, non reputaverunt, vix credendum esse, eum, qui tres jam consulatus gessisset, in patria adhuc potestate fuisse. Jam vero de ipso patre dubitare licet. Quot enim annos natum eum futurum fuisse censeamus! Ipsum enim Sp. Cassium prope sexagenarium fuisse necesse est existimemus. Nam inter primum et tertium consulatum sedecim annorum fuit intervallum. Itaque cum primum rem publicam administravit, quadragesimum fere egit aetatis annum; cum tertium, prope sexagesimum. Pater autem Sp. Cassii, cum patres et filii triginta fere annos aetate distare soleant, ad nonagesimum annum vitam produxit. Quae annorum summa est tanta ut dubitationem afferat vixeritne, adhuc cum filius accusaretur, ejus pater. Augebitur vero nostra de hac narratione, quae jam mota est, suspicio, cum monumenta considerabimus. Itaque si pater Sp. Cassium patria potestate necavisset, neque aedes dirutae essent neque bona aut publicata et Cereri consecrata; nam qui non sui juris, sed in patria potestate erat, is nihil proprii habebat; sed omnia ejus bona patris erant. Quis igitur credat, populum Romanum tam ingrato animo fuisse, ut ejus, qui filium nefarium ipse necasset ideoque de re publica bene meritus esset, aedes diruerent, bona publicarent! Jam vero illa inscriptio „ex Cassia familia datum“ nonne demonstrat, illud in templo Cereris signum non a patre consecratum esse? Quis enim censeat, ipsum patrem ejus rei, quae summo familiae dedecori esset, signum ac monumentum in templo Cereris, cui sacrorum tantummodo hominum res dari constaret, ante oculos hominum posuisse ac curasse, ut ne unquam flagitium a filio commissum memoria excederet! Sed quid multa! Res per se ipsa perspicua est. Unius tamen rei mentionem non praetermiserim. Ii enim, qui

---

[29]) Dionys. VI c. 89. X c. 42. Liv. III c. 55.
[30]) Liv. II c. 8.

fabulam de patre Sp. Cassii commenti sunt, quia monumenta auferre non poterant, alteram fabulam confingere necessitate coacti sunt. Itaque cum filios nihil proprii habere constaret, homines subtiles et in inveniendis rebus novis exercitati dixerunt, peculium filii a patre Cereri consecratum esse.[31]) Quae narratio tam aperte mendacii speciem prae se fert, ut jam ne ullum quidem verbum contra facere opus sit. Quae cum ita sint, qui nostrae disputationis cursum secuti sint, iis persuasum esse spero, commentarios Valeriorum nullam fidem praebere, veram autem traditionem ex commentariis Fabiorum repetendam esse.

Reliquum est, ut quaeramus, ipsane gens Cassia res a Sp. Cassio gestas ad memeriam posterorum propagaverit i. e. commentarios habuerit. Hoc vero dubitare licet. Nam Cassius Hemina, is qui initio septimi a. u. saeculi annales conscripsit. ex eademne atque Sp. Cassius gente fuerit, ignoratur. Evanuit autem post Sp. Cassii mortem nomen Cassiorum ex fastis usque ad annum a. u. 580; quo anno qui consulatum adipiscerentur, Cassios Longinos plebejos fuisse constat.[32]) Unde colligi potest, aut Sp. Cassium omnium Cassiorum postremum fuisse, h. e. familiam Cassiam una cum eo exstinctam esse (id quod mihi veri similius esse videtur), aut, si Sp. Cassius (quod quidam annalium scriptores voluerunt)[33]) liberos habuisse patri superstites certum esset, eos eorumque posteros humilem atque obscurum in re publica locum obtinuisse. Qua in condicione ac fortuna qui essent, eos eo tempore, quo rarus litterarum esset usus, commentariorum conscribendorum curam habuisse nemo est, qui credat. Sed haec de fontibus historiae Cassianae hactenus; reliquae jam disputationis cursum teneamus.

Itaque a Sp. Cassio tertium consule foedus cum Hernicis ictum esse constat. Quod foedus qua de causa Romani et Hernici fecerint, dubium non est. Postquam enim opes Tarquiniorum, qui fines imperii longe lateque propagaverant, corruerunt, nullus jam populus Romanos metuebat. Itaque Romanis cum Etruscis Sabinis Latinis Hernicis bella gerenda erant. Omnium vero hostium infestissimi erant Volsci et Aequi. Quae gentes cum a montibus Italiae in planitiem descendissent agros petituri, atrocissima quotannis cum vicinis proelia faciebant. Maxime vero Latinos Hernicosque, quorum agri finibus adjacebant suis, vexabant. Qua de causa Sp. Cassius, vir prudentissimus,[34]) cum potentiam Volscorum et Aequorum mox tantam fore, ut nemo posset iis resistere, intelligeret, Latinos Hernicosque socios Romanis quam hostes esse maluit, ut tres populi viribus uno imperio conjunctis hostes profligarent. Itaque in secundo consulatu bello Latino finem imposuit Latinosque foedere

---

[31]) Liv. II c. 41, § 10.
[32]) Liv. XLII c. 28 cf. Mommsenii quaest. Rom. (Röm. Forschungen) p. 107.
[33]) Dionys. VIII c. 80.
[34]) Dionys. IX c. 51. X c. 38.

cum Romanis ita junxit, ut cives essent sine suffragii latione; de qua re cf. quae supra disputavimus. Cujus foederis ad exemplum Sp. Cassium in tertio consulatu bello finito cum Hernicis foedus fecisse, ut etiam ii cives sine suffragio essent, Dionysius est auctor. [35]) Idem tradit, nullam agrorum iis partem ademptam esse; [36]) id quod nemo, qui Sp. Cassii in foedere jungendo consilium perspexerit, dubitabit. Tamen Dionysio Livius adversatur, cujus haec sunt de foedere verba: „cum Hernicis, inquit, foedus ictum, agri partes duae ademptae." Qua in re Livius sine dubio erravit; nam Sp. Cassius si Hernicis duas partes agri ademisset, rem consilio suo effecisset contrariam, ut non Romanoram, sed Volscorum socii fierent; tantam autem dementiam in viro prudentissimo fuisse quis credat! Immo Hernicos prope centum annos Romanis fidem praestitisse, bella ab utrisque communi Marte gesta comprobant; [37]) aliter autem si res se habuisset, dubitari non potest, quin primam deficiendi a Romanis occasionem arrepturi fuerint. Itaque etiam foedus cum Hernicis ictum aequum erat foedus. Duo igitur Romani jam habebant foedera, alterum cum Latinis, alterum cum Hernicis; inter Latinos autem et Hernicos eandem rationem intercessisse verisimile est. Qua de causa tres populi ita jam inter se conjuncti erant, ut cuilibet de uno populo civi apud socios conubia et commercia quaerere liceret (unde illud est apud Dionysium, socios pro isopolitis vel etiam politis i. e. civibus sine suffragio fuisse), ut socii auxilium sociis ferrent ab iisque impetum hostium propellerent, ut denique praedae quodque communi bello partum esset, ejus tertiam quisque populus partem sortiretur. Ita cum Antium, Volscorum oppidum, a. u. 286 a sociis expugnatum esset eoque coloniam deducere placuisset, hanc trium fuisse populorum coloniam atque in tres partes divisionem agri Antiatis ex hostibus capti ex foederum condicionibus factam esse, recte ex iis, quae de hac re a veteribus tradita sunt, viri docti conjecerunt. [38]) Itaque Sp. Cassius, cum Romanis eorumque sociis jura ac munera justis partibus aequaret iisque, quibus iidem essent labores, eadem etiam praemia praebenda esse censeret (suspicor autem eum etiam optasse, ut, si quam unus populus jacturam fecisset, ea ut omnibus promiscua a sociis pro parte compensaretur; de qua re infra dicemus), opus et maximum et stabilissimum exegit, quod per centum vel etiam centum quinquaginta annos everti non potuit, ac summas rerum conquassationes velut tumultum Gallicum sustinuit quodque ingens periculum a Volscis Aequisque trium populorum cuique imminens superavit. Qua re factum est, ut,

---

[35]) Dionys. VIII c. 69. 77.

[36]) Dionys. VIII c. 77.

[37]) Liv. II c. 53. III c. 4. 5. 6. 8. 22. IV c. 26. VI c. 2: „Latinorum Hernicorumque qui post pugnam ad lacum Regillum factam per annos prope centum nunquam ambigua fide in amicitiam populi Romani fuerant." Dionys. VIII c. 15. IX c. 1. 5. 13. 16. 62. 67. X c. 20. XI c. 54.

[38]) Liv. II c. 64. 65. Dionys. IX c. 58. 59. cf. Schwegleri hist. Rom. II p. 347 sq.

qui tanta perfecisset, vir omnium aequalium illustrissimus esse videretur,[39]) et fieri potuit, ut excelsi vir animi, qui non modo reipublicae Romanae prodesse vellet, sed etiam totius regionis salutem pluris quam solum Romanorum commodum duceret, cum clientelis et factionibus domi forisque valeret, majora moliretur quam quivis unus e populo.

Itaque Sp. Cassius, cum bello Hernico finito ac foedere cum Hernicis facto domum rediisset, ad rem immensi operis aggressus est; agrum enim publicum privatis erat divisurus. Quod consilium jam antea eum cepisse verisimile est; quomodo enim eum praedicaturum fuisse censeamus, plebem a sese secundum consule de monte sacro Romam reductam esse,[40]) nisi plebis inopiam omnium rerum sublevaturum sese pollicitus esset. Secessionem autem plebis propterea factam esse constat, quod magna pars plebis aere alieno obruta esset ac ne maxime quidem necessarias ad vitam sustendandam res haberet. Ideo quod in secundo praestare non potuit promissum in tertio consulatu exsolvere constituit; ad deleniendam autem miseram plebis condicionem ager publicus ei opus erat. Ager autem publicus ab agro privato hoc differt, quod ager publicus non privati cujusquam proprius est, sed totius populi. Ager autem publicus populi Romani tum temporis universo populo nullam fere utilitatem praebebat; nam cuivis quidem civi in agro compascuo vel saltibus pecus pascere licebat,[41]) sed ab eo, si pasceret, scriptura rei publicae danda erat;[42]) maxima vero agri publici pars, ut primum et ubicunque occupatus est, a privatis possidebatur;[43]) et ne vectigalia quidem possessoribus agri publici imposita erant, sed fructus ex eo gratis percipiebantur.[44]) Atque plurimos possessores agri publici ex ordiue patriciorum fuisse constat;[45]) in eodemne autem possessorum numero etiam plebeji fuerint, a

---

[39]) Dionys. IX c. 51: Sp. Cassium dicit *ἄνδρα τῶν κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν γενομένων ἐπιφανέστατον ἐν ἡγεμονίαις τε πολέμων καὶ πολιτικαῖς πράξεσιν.* Similiter verba facit X c. 38.

[40]) Dionys. VIII c. 70.

[41]) cf. leg. Thor. c. 10. lin. 25. et Schwegl. hist. Rom. II p. 435 n. 6.

[42]) Plin. nat. hist. XVIII c. 3.

[43]) Liv. II c. 41. Dionys. VIII c. 70. 73.

[44]) Plin. XVIII c. 3: „pascua . . ., ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat.“ Itaque ex pascuis tantummodo, non ex reliqua agri publici parte reditus exigebantur. Quod Plinii dictum in illud post reges exactos tempus quo Cassius legem agrariam promulgavit, cadere, etiam orationes App. Claudii et A. Sempronii apud Dionysium confirmant (lib. VIII c. 73. 74.) et ex Livii narratione de anno 330 a. u. (IV c. 36) colligitur dicentis, ne tum quidem h. e. sexaginta annis post Sp. Cassii mortem vectigalia agri publ. possessoribus imposita fuisse.

[45]) Liv. II c. 41: „multos quidem patrum, ipsos possessores“ sc. agri publici. Dionys. VIII c. 70: (*χώρα*) *λόγῳ μὲν δημοσία, ἔργῳ δὲ τῶν ἀναιδεστάτων τε καὶ σὺν οὐδενὶ δικαίῳ κατεσχηκότων πατρικίων.* cf. etiam Liv. VI c. 36.

multis viris doctis dubitatur; ita Niebuhrius, Schweglerus, Peterus censent, [46]) agrum publicum ante legem Liciniam a. 386 a. u. latam non potuisse occupari vel possideri nisi a patribus. Verumtamen hoc constat, agrum publicum jam ante Sp. Cassii tempora a plebejis possessum esse. Nam apud Sallustium haec leguntur [47]): „neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, aequo et modesto jure agitatum; dein servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere, et ceteris expertibus soli in imperio agere.“ Eodem fragmentum, quod de annalibus Cassii Heminae superest, pertinere verisimile est; ejus fragmenti haec verba sunt: „quicunque propter plebitatem ejecti sunt.“ [48]) Itaque et regnante Tarquinio Superbo et paucis annis post plebejis licuisse agrum publicum possidere credibile est. Hoc quoque constat, plebejos agro publico ejectos esse; sed nihil est in illis fragmentis, quod indicet, omnibus plebejis de agro publico cedendum fuisse. Immo ex aliorum locorum comparatione suspicari licet, egenos tantummodo de plebe homines, non primores plebis usu agri publici privatos esse; et contentionem de agro publico ortam inter divites omnino fuisse et pauperes, non inter patres et plebem. Ita Dionysius App. Claudium, virum Sp. Cassio inimicissimum, inducit disserentem: pauperes optimo jure invidere divitibus, qui quae publica essent sua fecissent. [49]) Eandem sententiam, pauperes tantummodo agri publici non participes fuisse, idem auctor profert, ubi legem Iciliam de Aventino publicando commemorat. [50]) Etiam apud Livium sunt loci, quibus haec sententia confirmari videtur; dicit enim, [51]) nobiles homines in possessionem agri publici grassari, neque plebi ibi locum esse; quos nobiles non eos esse, qui rem publicam administrent, sed eos, qui divitiis et fortuna conspicui sint, comparatio verborum ex Dionysii libris citatorum verisimile facit. Itaque possessionem agri publici tum cum Sp. Cassius legem agrariam ferret, patribus et divitibus de plebe hominibus promiscuam fuisse credimus; neque dubitari potest, quin patres primoribus plebis ideo eam possessionem concesserint, ut eorum factione sibi conciliata majorem ipsi in reliquam partem plebis vim haberent. Idem vixdum regibus exterminatis in complendo per viros de plebe senatorum numero consilium patrum fuisse constat. — Quae cum ita essent, ipsum populum nullam, omnem vero paucos ex agro publico

---

[46]) Niebuhr. R. G. IIte Aufl. II p. 185 u. 186. Peter. R. G. I p. 142. Schwegler. R. G. II p. 449 sq.

[47]) cf. in editione Sallustii, quam Gerlachius curavit, fragm. ex libr. hist. I n. 11.

[48]) Non. p. 149.

[49]) Dionys. VIII c. 73: *νῦν μὲν γὰρ, ἔφη, ὁ φθόνος τῶν πενήτων ὁ πρὸς τοὺς πλουσίους, ὅσοι σφετερισάμενοι τὰ κοινὰ διακατέχουσι, δικαιός ἐστιν.*

[50]) *τοὺς πένητας . . . ἐπειδὴ τῆς χώρας δημοσίας οὐκ ἔξεστι (λαχεῖν μέρος) διὰ τοὺς ἐσφετερισμένους αὐτὴν πολλοὺς ὄντας καὶ δυνατούς.* X c. 32.

[51]) Liv. IV c. 51. VI c. 5.

utilitatem cepisse perspicuum est.[52]) Optimo igitur suo jure Sp. Cassius agrum publicum, qui, quamquam a privatis possideretur, numquam ager privatus factus esset, sed proprius populi Romani permansisset, possessoribus adimere iisque civibus, qui maxime agris egerent, dividere sibi visus est; praesertim cum plebes suo sanguine et sudore in bellis illum agrum partum esse gloriaretur. Ager enim publicus populi Romani ex hostibus captus erat. At summum jus saepe fit summa injuria. Qui igitur justum videri potuit, locupletes, qui in agris, quos vastos ipsi occupassent, colendis et multum pecuniae collocassent et propter vicinitatem hostium pericula subiissent jacturamque saepe suarum rerum fecissent, possessionibus diuturnis a sese aut majoribus bene cultis moveri! Itaque non mirum fuit, si possessores summo in Sp. Cassium odio flagrabant et, quasi vir ambitiosus de alieno largiri vellet, legi agrariae summa vi resistebant.

Itaque quaeritur pertuleritne Sp. Cassius legem suam. Atque Livius, quamquam rem omnino neque affirmat neque negat, tamen legem non ratam factam esse credit, id quod ex rerum ab eo narratarum inter se connexu dubium esse non potest. Dionysius autem eos, qui legem perlatam esse opinantur, eo refellit, quod cum senatus rem agrariam decemviris insequenti anno creandis permittendam esse censuisset, plebes hoc senatusconsulto freta Sp. Cassio alienata fuerit. Itaque legem Sp. Cassii perlatam esse manifesto negat; in alia autem re sibi non constat. Quo enim loco de senatusconsulto agit, adjicit, id comitiis populi comprobatum esse, ita ut lex quaedam a lege Cassia diversa ab altero consule Verginio ex senatusconsulto rogata et a populo Romano jussa esse videatur.[53]) Aliis autem plurimis locis negat ex senatusconsulto per comitia populi legem factam, sed censet nihil nisi senatusconsultum factum neque id per comitia populi ratum esse; docetque[54]) senatusconsulta non esse leges, quippe quae in aeternum valerent; et apud eundem Ap. Claudius dicit, illo senatusconsulto vel probuleumate unius tantummodo anni consules Fabium et Cornelium obligatos esse, non insequentium annorum magistratus teneri. At Niebuhrius aliique narrationem Dionysii respuentes[55]) legem a Cassio perlatam esse censent; eam autem sententiam eo confirmari, quod tribuni plebis per triginta annos flagitaverint, ut consules, quod lege sancitum esset, exsequerentur eosque rem recusantes arripuerint, quin etiam in discrimen capitis apud populum vocaverint. Et fuerunt immodicae post Sp. Cassii mortem inter patres et plebem de re agraria rixae, quibus

---

[52]) Dionys. VIII c. 73.

[53]) Dionys. VIII c. 76.

[54]) Dionys. VIII c. 81. 87. 91. IX c. 37: (consules dicebant) . . . *οὐδ' εἶναι νόμους εἰς ἀεὶ κυρίους, ἃ ψηφίζεται τὸ συνέδριον, ἀλλὰ πολιτεύματα καιρῶν, ἐνιαύσιον ἔχοντα ἰσχύν.* c. 51. 52 (oratio Ap. Claudii.)

[55]) Nieb. R. G. II p. 196. Schwegler R. G. II p. 478 sq.

pleni sunt Livii et Dionysii libri:[56]) tribuni plebis consulibus et senatui perfidiam exprobrabant, quod promissam divisionem agrorum non facerent, dilectum inhibere conabantur, quod illi suae voluntati non morigerarentur, ita denique propter constantiam adversariorum rei agrariae ira exacerbati sunt, ut consules quoscumque, simulatque magistratu se abdicaverunt, apud plebem accusarent. Ita jam T. Menenio consulari, cui tribuni plebis propter rem ad Cremeram male gestam diem dixerant (a. 278 a. u.), cum plebs eum capitis crimine liberasset, duo millia aeris multa propterea irrogata esse videtur, quod agros non divisisset.[57]) Etiam Ap. Claudio consulari summae res agraria invidiae fuit; nam cum acerrimus legis agrariae adversarius esset et causam possessorum tanquam suam ipsius sustineret, tribuni eum apud plebem accusaverunt (a. 284 a. u.); sed antequam damnatus esset, mortem sibi conscivit.[58]) Omnium autem atrocissimum anno 280 a. u. de re agraria fuit certamen, cum Cn. Genucius tribunus pl. abeuntes magistratu consules L. Furium et C. Manlium arripuisset. Dixit, hac utique se de causa eos accusare, quod, qui divisionem agrorum ante duodecim annos promissam non fecissent, ii plebi injuriam intulissent,[59]) addiditque numquam posteriores consules eam rem perfecturos esse, nisi priores in capitis discrimen adducti essent. Cum vero jurejurando in proposito se perseveraturum esse affirmasset, comitiorum die mortuus in lecto inventus est; neque dubitari potuit, quin patres eum interfecissent.[60]) Caeteri autem tribuni, periculo vitae deterriti, ab accusatione reorum destiterunt. Itaque cum consulares, quia agros non divisissent, apud plebem capitis accusati fuerint, multi homines docti non dubium esse censent, quin lex Sp. Cassii pro rata et justa lege habenda sit.[61]) Quam conclusionem, quamvis speciosa sit, non rectam esse paullo infra demonstrabimus. Hoc tamen jam nunc

---

[56]) Liv. II c. 42. 43. 44. 47. 48. 52. 54. 58. 61. 63. 64. III c. 1. Dionys. VIII c. 81. 82. 87. 90. IX c. 1. 5. 32. 37. 38. 39. 41. 42. 43. 49. 51. 52. 54. 59. 69. X c. 31. 32. 35.

[57]) Liv. II c. 52: „Q. Considius et T. Genucius, auctores agrariae legis, T. Menenio diem dicunt."

[58]) Liv. II c. 61. Dionys. IX c. 52—54.

[59]) Dionys. IX c. 37: (ὁ Γενύκιος) . . *Μαλλίῳ τε καὶ Λευκίῳ δίκην ἐπήνεγκε δημοσίαν καὶ προεῖπεν ἥκειν ἐπὶ τὸν δῆμον ἀπολογησομένους, ὁρίσας ἀντικρὺς τὴν αἰτίαν τῆς δίκης, ὅτι τὸν δῆμον ἀδικοῦσιν οὐκ ἀποδείξαντες τοὺς δέκα ἄνδρας, οὓς ἐψηφίσατο ἡ βουλὴ τοὺς ποιησομένους τὴν τῶν κλήρων διανομήν.*

[60]) Liv. II c. 54. Dionys. IX c. 37. 38.

[61]) Schwegler R. G. II p. 480: „Diese Anklage (des Manlius und Furius) setzt voraus, dass jene Consuln durch ihre Weigerung, das Ackergesetz zu vollziehen, eine Pflichtverletzung begangen hatten, berechtigt also zu der Folgerung, dass damals ein sie verpflichtendes Ackergesetz bestanden hat. Wäre das Cassische Ackergesetz im Jahre 268 am Widerstand der Patricier gescheitert, also nicht Gesetz geworden, sondern blosse Rogation geblieben: kein Tribun hätte mit Fug die Consuln des Jahrs 280 wegen Nichtausführung dieses Gesetzentwurfs in Anklagestand versetzen können."

dicendum est, posse etiam aliam illius consularium accusationis interpretationem fieri atque eam, quam illi homines docti fecerint. Nam causa Marcii Coriolani tribunorum plebis potestatem ita auctam esse constat, ut quemvis patriciorum, qui vel ipsos vel plebem violasse videretur, in concilio plebis accusare liceret.[62]) Ita tribuni pl. Coriolanum propter violatas leges sacratas, alios propter rem bello male gestam[63]), alios propterea quod singulos de plebe homines injuria affecissent[64]) accusaverunt, aliquando etiam ipsis consulibus diem dixerunt.[65]) Omnes vero illae accusationes hac re inter se similes fuerunt, quod plebem ab ordine patrum aut singulis patriciis injuria affectam esse simulabatur. Itaque, ut ad quaestionem nostram redeamus, cui illa conjectura ratam fuisse Sp. Cassii legem necessaria esse videtur, cui, cum nihil nisi rem bello male gestam tribunis accusandi consules causam fuisse constet, non satis est existimare, L. Furium, C. Manlium, Ap. Claudium propterea accusatos esse, quod cum plebi agros non divisissent aut in senatu contra divisionem libere et aperte dixissent, probabilem praebuisse viderentur causam simulandi, violatam esse ab iis plebem. Nam tribunos in interpretandis legibus sacratis haud religiosos scrupulososve fuisse neque ullam potestatis suae amplificandae occasionem praetermisisse nemo ignorat. Huc accedit quod L. Furius, C. Manlius, Ap. Claudius tribunos pl. ad iram irritavisse videntur; id quod de Ap. Claudio constat; reliquus autem vir uterque idem fecisse aut, cum antea illud de re agraria senatusconsultum laudavisset, postea divisionem agri publici dissuasisse videtur.

Itaque Niebuhrii de lege Sp. Cassii conjectura non est necessaria; immo ne verisimilis quidem est; sed si quis diligenti eam cura examinaverit, falsam esse intelliget. Ac primum quidem rogationem Sp. Cassii a senatu non comprobatum esse et memoriae proditum[66]) et per se ipsum perspicuum est; id quod in memoriam revoco, quia nisi ex senatus auctoritate divisio agrorum fieri non potuit. Itaque pauca de finibus potentiae senatus nobis dicenda sunt. Atque si Polybii auctoris locupletissimi testimonio[66a]) confidere licet: omnis rerum populi Romani publicarum, sive aerarii, sive bonorum mobilium sive agri publici cura penes senatum fuit; sed Polybii tempore potentia senatus magis usu quam jure tanta fuit; jamdudum enim tum lex Hortensia valuit, qua sancitum erat, ut quidquid plebes sive ex senatus auctoritate sive contra eam jussisset, populum teneret. Itaque de comitiorum tributorum post legem Hortensiam potestate dubitare non licet; iis vero temporibus, quae legi Hortensiae antecesserunt, senatus auctoritas non modo efficax, sed etiam legitima erat. Sed

---

[62]) cf. Das Criminalrecht der Röm. Republik von A. W. Zumpt. Berlin 1865. I, 1 p. 254 sq. 266 sq.

[63]) Liv. II c. 52. Dionys. IX c. 28.

[64]) Liv. III c. 2. Dionys. X c. 5.

[65]) Dionys. X c. 34. 35.

[66]) Liv. II c. 41. Dionys. VIII c. 71. 73. 77. [66a]) Polyb. VI, 13. 17.

horum quoque temporum interest inter id quod post leges Valerias Horatias (a. 304 a. u.) et id quod ante eas fuit. Nam postea quam leges Valeriae Horatiae latae sunt, quamquam senatus de agro publico viritim dividendo et de coloniis in agrum ex hostibus captum deducendis solus decernere solebat,[67]) tamen, quia in iis legibus illud erat, ut quod tributim populus jussisset, populum teneret, etiam fieri potuit, ut in comitiis tributis tales leges, quae ad agrum publicum et ad colonias pertinerent, vel sine senatus auctoritate vel contra eam ratae efficerentur.[68]) Quae vero ante leges Valerias Horatias de agris, aedibus, bonis publicis populi Romani constituere placeret, ea a senatu solo, non lata aut antea aut postea ad populum rogatione, acta esse constat. Sed haec quoque in liberae tantummodo rei publicae Romanae statum quadrant; nam antea reges agros, quos bello cepissent, suo arbitratu divisisse videntur;[69]) quamvis jam tum patres tale factum valde indignarentur;[70]) decebat enim etiam regem, senatus dignitatem vereri et tueri. Sed quod in regno Romano accidit, ut senatus auctoritas contemneretur, id in libera re publica fieri non potuit. Nam post reges exactos, quum annuum esset magistratuum imperium et consul alter alterius libidinem coerceret, potentia senatus multo aucta est. Omnium vero maxime ea, quae ad res populi Romani publicas administrandas pertinerent, senatus magistratibus detraxit et sibi assumpsit; cavit etiam, ne comitiorum nimia in rem publicam vis fieret; itaque sexaginta post reges exactos annis semel, cum lex de Aventino publicando lata est, populus in comitiis centuriatis suffragia de agro publico tulit. Ea autem lex, quia in numero legum sacratarum fuit,[71]) a caeteris secernenda est; sed ne ea quidem, antequam senatusconsultum de Aventino publicando factum esset, in populi comitia pervenit. Reliqua vero, quae de administratione agri publici ante leges Valerias Horatias nota sunt, demonstrant senatum de bonis atque agris publicis solum decrevisse. Ita senatui bona Tarquinio repetenti non reddere, sed plebi diripienda dare placuit;[72]) jam cum Porsina urbem obsideret, „multa blandimenta plebi ab senatu data; annonae imprimis habita cura et ad frumentum comparandum missi alii in Vulscos alii Cumas; salis quoque vendendi arbitrium, in publicum omni

---

[67]) Liv. IV c. 11. 47. V c. 30. VI c. 16. 21. al.

[68]) Liv. IV c. 48. 53. V c. 24. 29. 30. 50—55. Plut. Cam. c. 7—11.

[69]) Cic. de rep. II c. 14: agros quos bello ceperat Romulus divisit viritim civibus. c. 18 . . (Ancus) . . quosque agros ceperat, divisit.

[70]) Plut. Romul. c. 27.

[71]) Liv. III c. 32. Dionys. X c. 31. 32.

[72]) Liv. II c. 5. Dionysius (V c. 13) non senatum, sed consules bona regis plebi dedisse dicit, verbis, non re a Livio discrepans; idem tradit (V c. 6), judicium de bonis regis, cum consules inter se dissentirent et senatus dubitaret, quid agendum esset, comitiis curiatis permissum esse; id quod et levis momenti est et fide caret. cf. Dionys. VII c. 59, quem locum infra in not. nostr. 106 ad verbum descripsimus.

sumpto, ademptum privatis portoriisque et tributo plebes liberata;"[73]) Horatio Cocliti virtutis causa tantum agri a senatu dono datum, quantum uno die bubus junctis circumagere posset;[74]) item C. Mucio ager trans Tiberim a senatu datus est;[75]) anno 287 a. u. senatus decrevit, ut colonia Antium deduceretur; eo qui proficisci vellent, nomina darent.[76]) Satis sit exemplorum; qui locos citatos perlegat, nihil in iis de comitiis populi inveniat. Itaque eo tempore, cujus finibus nostra disputatio tenetur, omne de agro publico et coloniis arbitrium penes senatum fuit. Quae cum ita essent, Sp. Cassio, postquam divisio agrorum senatui non comprobata est, aut de consilio desistendum aut mos, qui per quinque et viginti annos valuerat, perfringendus et nova consilio via aperienda fuit. Itaque cum in proposito perseveraret, legem, quam senatus aspernatus erat, ad comitia populi tulit, quo facto morem veterem et usitatum violavit et res novas moliri visus est. Sed ne ita quidem legem eum pertulisse verisimile est. Primum enim alter consul Verginius, qui in auctoritate senatus erat, collegae restitit legi;[77]) ita ut ne in suffragia quidem centurias missas esse credibile sit. Omnino enim major est vetantis potestas quam jubentis; et alia exempla confirmant non potuisse nisi collega permittente alterum consulem populum in suffragia mittere.[78]) Verum ne ea quidem condicione, si Verginius cum Sp. Cassio de rogatione consensisset populusque eam accepisset, lex Sp. Cassii rata fuisset. Nam ante leges Publilias (a. 415 a. u.) patres cujuscunque legis auctores fierent necesse erat.[79]) Patres vero rogationi Sp. Cassii, qui id ageret, ut ipsi diuturnis possessionibus moverentur, auctoritatem addituros fuisse, non coactos necessitate, quis est qui censeat.

„At enim lex invitis senatu Verginio patribus perlata est; timuerunt, ne Sp. „Cassius, civis malus et turbulentus, seditionem in urbe moveret; quippe, cum ante „septem annos in montem sacrum a plebe secessum esset. Idem Sp. Cassio duce „tribunisque multitudinem concitantibus futurum fuit." Quam sententiam qui protulerunt, unum obliti sunt. Quod enim fieri potuit, id non factum est. Nam divites de plebe viros Sp. Cassium aversatos esse, jam supra memoratum est; quin ne tri-

---

[73]) Liv. II c. 9. — Dionysius (V c. 22) iterum senatum in ea re praetermittit, consules earum rerum curam habuisse dicit.

[74]) Dionys. V c. 35.

[75]) Dionys. l. c. Liv. II c. 13.

[76]) Liv. III c. 1. Dionys. IX c. 59.

[77]) Liv. II c. 41, 4. Dionys. VIII c. 71. 72. 78.

[78]) Dionys. V c. 41.

[79]) Liv. VIII c. 12. cf. Mommsen. Röm. Forschungen p. 238: Dem Umfange nach ist die Autorisation des Patriciercenates (patrum auctoritas) erforderlich für alle wirklichen Volksbeschlüsse, das heisst für alle Beschlüsse der patricisch-plebejischen Bürgerschaft, also der Centurien überhaupt, ferner der Curien . . . und der von patricischen Magistraten abgehaltenen Tribusversammlung, mögen sie Wahlen oder Gesetze betreffen.

buni quidem plebis ejus consilium adjuvisse videntur. Nam quod est apud Valerium Maximum [80]), P. Mucium tribunum plebis omnes collegas suos, qui duce Sp. Cassio id egissent, ut communis libertas in dubium vocaretur, vivos cremasse: id manifestam mendacii speciem prae se fert. Quomodo enim flagitium tantum et tantopere omnem modum usitatarum poenarum egrediens diligentissimos auctores Ciceronem, Livium, Dionysium praeteriisse credamus, cum alia facinora minus ingentia e memoria hominum non elaberentur! Immo plebem, quae sceleris illius in Cn. Genucium tribunum pl. a patriciis clam interfectum commissi non oblita esset, eandem tam immane facinus posteris proditurus fuisse pro certo habendum est. Sed quid multa, cum jam Muellerus in editione Festi [81]) de ea re satis dilucide disputaverit. Itaque in libris fide dignis nihil memoratur, Sp. Cassium aut a tribunis plebis aut ab ipsa plebe adjutum esse. Atque Livius narrat, primo partem plebis, postea totam plebem legi Sp. Cassii adversatam esse; Dionysius vero: Sp. Cassium ex hominibus egenis atque sordidis factionem sibi congregasse, [82]) cum vero tribuni plebis, qui in auctoritate senatus essent, rogationi Sp. Cassii intercessissent [83]) et senatus illud de dividendis plebi agris consultum fecisset, nullum jam in plebe praesidium habuisse. Idem confirmat Cassius Dio, auctor prudens firmoque et acri judicio praeditus; dicit enim,

---

[80]) Valer. Max. VI c. 3, 2.

[81]) cf. Fest. ed. a Muellero, qui in fragmento, quod vocibus 'T. Sicini' incipit, ea quae desunt p. 174 ita supplevit (suppleta litteris obliquis indicantur):

Novem trib. mil. in exercitu | T. Sicini, Volsci
cum rebellassent et atrox proelium | inissent adversus
Romanos, in eo occisi et in Cir-|co combusti feruntur
ibidemque sepulti in crepidi-|ne, quae est proxime Circ-
cum, qui locus postea est la-|pide albo constratus.
Qui tum pro R. P. occubuerunt, fuere | Opiter Verginius
Tricostus. M. Valerius | Laevinus Postumus Co-
minius Auruncus . . . . | lius Tolerinus. P. Ve-
turius Geminus. A. Sempr-|onius Atratinus Ver-
ginius Tricostus. Mu-|tius Scaevola. Sex. Fusi-
us Medullinus.

Pag. 389 sq. Muellerus de ea re ita disputat: „Ii viri non puniti sunt, sed cum de re publica bene meruissent, tanto honore affecti sunt“ . . . Valerii Maximi „narrationem specie a Verriana differre, re ad eandem redire, manifestum est; nam bis eodem tempore novem viros combustos esse quis credat? Hinc credibile est, fama inter Romanos propagatum esse certo quodam ad Circum loco novem olim tribunos esse crematos et sepultos: hos alii tribunos plebis fuisse existimabant contra omnem historiarum fidem, alii tribunos militum, quos constat tum summo fuisse honore, ex primis civitatis viris legi solitos. Itaque hi nomina eorum ex consularibus illorum annorum docte colligebant, addito tamen Mutii Scaevolae nomine, quod id vulgi fama in ea re traditum acceperant.“

[82]) Dionys VIII c. 71.

[83]) c. 72. 78.

illud sermone tritum, in multitudine nihil esse fidei, constantiae, aequabilitatis, etiam Sp. Cassii exemplo comprobari, qui ab iisdem Romanis, in quos beneficia contulisset, postea morte mulctatus sit.[84]) Itaque seditionem rogationis adjuvandae causa a plebe factam veteres ignorant. Itaque lex Sp. Cassii non perlata est. Huc accedit, quod, quae totius antiquitatis consensu de ea re tradita sunt, eorum fides etiam hac ratiocinatione stabilitur: quis enim dubitat, quin, si Sp. Cassius legem plebi gratam tulisset, tribuni pl. fautori plebis contra patricios auxilium laturi eumque ab exitio liberaturi, patriciis vero declarantibus, jus auxilii tribunorum pl. ad homines patricios non pertinere, novam plebis novarum semper rerum cupidae seditionem ac secessionem excitaturi fuerint. Quodsi Sp. Cassium neque aut tribunos appellasse aut auxilio ab iis ultro lato servatum neque per tumultum periculo imminenti ereptum esse constat, necesse est credamus, legem neque tribunis neque ipsi plebi gratam fuisse. Quamvis autem non grata fuisset, tamen eam perlatam esse nemo censeat. Unde duas conclusiones facere licet. Primum enim Niebuhrii conjecturam illam, ratam fuisse legem Cassiam, pro falsa habendam esse apparet. Deinde qui disputationis nostrae progressum secuti sunt, ii dubitare jam non possunt, quin quae Dionysius de senatusconsulto tradiderit, sive ille ea in annalibus invenerit aut ipse meditatione reppererit, ea verum rei statum contineant. Itaque tale senatusconsultum, quale est apud Dionysium, ut proximo anno decemviri crearentur, qui rei agrariae curam haberent, factum est; quod senatusconsultum ii qui postea in divisione agrorum perseverarunt, tribuni plebis respexerunt; Sp. Cassius autem administrationem agri publici senatui detrahere et in comitia centuriata transferre frustra conatus est.

Sed si quis de ceteris nobiscum constentiat, unum certe dubitet, possitne a nobis demonstrari, rogationem Sp. Cassii plebi non gratam neque acceptam fuisse; addat fortasse idem, nullam potuisse rogationem inveniri, quae plebi magis faveret; nam quamvis rogatio non ad verbum nobis nota sit, hoc tamen apparere, Sp. Cassium quam plurimis agrum publicum dividere voluisse; Dionysium enim tradere, lege Cassia rogatum esse *τὴν δημοσίαν γῆν κατ' ἄνδρα διανεμηθῆναι*[85]) h. e. ager viritim assignaretur; „viritanum autem agrum esse eum, qui populo id est aut omnibus pro „portione civibus distribuatur aut certe quantum fieri potest plerisque, numero non „lege finito, sed rei natura et agri modo" et „viritanam assignationem a coloniaria

---

[84]) cf. Cassii Dionis op. ed. ab Imm. Bekkero fragm. 19: *ὅτι Κάσσιος τοὺς Ῥωμαίους εὐεργετήσας ὑπ' αὐτῶν ἐκείνων ἐθανατώθη, ὥστε καὶ ἐκ τούτου διαδειχθῆναι ὅτι πιστὸν οὐδὲν ἐν τοῖς πλήθεσίν ἐστιν, ἀλλὰ καὶ τοὺς πάνυ σφίσι προσκειμένους οὐχ ἧττον τῶν τὰ μέγιστα ἀδικούντων ἀπολλύοσσι· πρὸς μὲν γὰρ τὸ ἀεὶ παρὸν μεγάλους τοὺς αἰτίους τῶν ὠφελημάτων ἄγουσιν, ἐπειδὰν δέ σφας ἐκκαρπώσωνται, οὐδὲν ἔτ' αὐτοὺς οἰκειοτέρους τῶν ἐχθίστων νομίζουσι. τὸν γὰρ Κάσσιον καίπερ χαριζόμενον σφισιν ὅμως ἐπ' αὐτοῖς οἷς ἐσεμνύνετο ἀπέκτειναν, καὶ ἔκδηλόν γε ὅτι ζηλοτυπηθεὶς ἀλλ' οὐκ ἀδικήσας τι ἀπώλετο.*

[85]) Dionys. VIII c. 72 (ed. Reiske p. 1682 l. 14). c. 73.

„eo diversam fuisse, quod in hac certo numero hominum ager dabatur, in illa autem „omnibus civibus aut certe tot hominibus quot agri mensura mox instituenda ad- „missura esset;“ [86]) inde colligi, Sp. Cassium ea lege omnium pauperum gratiam sibi conciliasse.

Recte quidem homines docti ita disputant; attamen constat, a veteribus memorari legem Cassiam plebi non placuisse. Cujus rei hanc afferunt causam, quod Sp. Cassius etiam socios i. e. Latinos Hernicosque ad agros accipiendos vocaverit. Atque Livius confuse de ea re agit; Dionysius vero diserte dicit, Sp. Cassium voluisse duas partes agri publici populi Romani Latinis Hernicisque, tertiam plebi Romanae assignare.[87]) Quam narrationem omnes auctores recentiores respuunt vel maxime;[88]) recte enim existimant, non prudentis fuisse hominis sed dementis in animum inducere, ut agri publici populi Romani duas partes sociis traderet; iidemque auctores illam narrationem e confusione legis Cassiae et foederum, quae Sp. Cassius cum sociis fecerit, repetendam esse putant: foedere enim cum Hernicis icto constitutum esse, ut quantum agri tres populi communi bello cepissent ejus tertia pars cuique populo daretur, itaque duae partes Latinis Hernicisque; et rem ipsam declarare, in eo foedere Romani cum sociis de eo tantummodo agro, quem post foedus ictum capturi essent, convenisse, non ut Romani ejus agri publici, quem jampridem ante foedus habuissent, duas partes sociis concederent. Haec sunt quae recentiores docte de ea re disserunt. Attamen vereor totam narrationem inter fabulas rejicere. Nam confusionis et permixtionis probrum non cadit in Dionysium, quippe qui ea quae recentiores ad eam narrationem adnotant ipse intellexerit et luculente explicaverit. Inducit enim A. Sempronium consularem contra legem Cassiam dicentem in eaque lege eadem vituperantem, quae etiam recentiores auctores in ea vituperant. Quod vero Dionysius fusius exposuit, idem Livius paucis verbis dixit. Itaque cum haec narratio optimorum auctorum fide confirmaretur, omni vero verisimilitate carere videretur, diu haesitavi, quid de ea censendum esset. Nunc vero persuasum habeo, etiam hanc narrationem adversus dubitationes virorum doctorum tuendam esse, quamvis paullulum in ea mutandum sit. Quae sententia latius explicanda et stabilienda est.

---

[86]) cf. Corp. Inscript. Lat. Vol. I vel Inscript. Lat. Antiquiss. ed. Th. Mommsen p. 88 et 89.

[87]) Dionys. VIII c. 72. 78.

[88]) Niebuhr. R. G. II p. 189. Peter I p. 152. Schwegler II p. 460, apud quem haec leguntur: Zwei Dritttheile des römischen Gemeinlandes an die mit Rom verbündeten Latiner und Herniker, die nicht das entfernteste Recht auf das römische Gemeinland hatten, zu verschenken, kann Cassius unmöglich beantragt haben: ein so verrückter Vorschlag hätte den Patriciern nicht bange machen können: jeder Römer hätte über die tolle Zumuthung gelacht. . . . Engelbregt de legib. agrar. ante Gracchos p. 54 sq.

Qua de causa in memoriam revoco, quae supra de Volscis Aequisque dicta sunt. Utraque enim gens ferocissima fines suos prolatura Latinis Hernicisque vicinis instabat neque unquam eos suas res agere sinebat. Ita ante foedus a Sp. Cassio ictum duas urbes Latinas Antium et Terracinam a Volscis expugnatas et retentas esse, ex eo intelligitur, quod utriusque urbis nomen in eo foedere, quod populus Romanus cum Carthaginiensibus et suo et Latinarum nomine, primo rei publicae liberae anno (245 a. u.), fecit, in numero urbium Latinarum fuerat[89]), foederis vero Cassii sedecim annis postea icti in indicem urbium Latinarum jam non receptum est.[90]) Jam vero Circeji oppidum Latinorum post foedus Cassium a Volscis captum est;[91]) fortasse anno 266 a. u.[92]) Si vero iis, quae de Coriolano tradita sunt, fidem habere liceret, Coriolanum unius anni bello duodecim[93]) vel etiam quattuordecim[94]) oppida Latinorum cepisse credendum esset. Sed omittamus historiam Coriolani saepissime dubitatam. Hoc tamen dubitare non possumus, quin postea quam reges Roma exacti sunt Latini cum Volscis male pugnaverint et tria eo jam tempore, de quo nostra disputatione agitur, oppida Antium Terracinam Circejos amiserint. Etiam ab Hernicis partem oppidorum et agrorum Aequis concedendam fuisse verisimile est; non quo certis testimoniis uti liceat — nam libri nos in ea re deserunt —, sed quia Hernici foedus cum Romanis sine dubio propterea fecerunt, quod suis ipsi viribus Aequis resistere jam non potuerunt. Itaque cum socii proximis annis partem suorum agrorum amisissent, Sp. Cassium sociis pollicitum esse non publice sed privatim credo sese detrimenta, quae accepissent, quantum fieri posset sarturum communicando cum iis agrum publicum populi Romani. Antea enim jam diximus virum tam excelso fuisse animo, ut omnium totius regionis populorum salutem commodis solius urbis patriae anteponeret. Itaque vir magnus, ut vincula trium populorum amicitiae inter ipsos stabilissima et solidissima fierent, non modo commoda sed etiam damna omnium communia esse voluit. Commoda autem erant communia. Tertio enim articulo foederis constitutum erat, ut praedae quodque communi bello partum esset, ejus tertiam quisque populus partem sortiretur. Qua de causa Sp. Cassius Romanis persuadere conatus est, ut ipsi eam quam socii fecissent agrorum jacturam pro portione compensarent iisque aliquantulum sui agri publici praeberent. Hoc fuisse Sp. Cassii consilium credo, non illud duas partes agri publici pop. Rom. sociis dandi. Qua conjectura et id, quod

---

[89]) Polyb. III, 22, 11.
[90]) Dionys. V. c. 61. cf. Schwegler. R. G. II p. 322 sq.
[91]) Liv. II c. 39. Dionys. VIII c. 14.
[92]) Schwegler II p. 707.
[93]) Liv. II c. 39.
[94]) Dionys. VIII c. 36.

traditum est,[95]) servari et justas virorum doctorum dubitationes tolli quis non videt! — Sed Romani ne minimam quidem agri publici partem sociis tradere voluerunt; Cassius autem ut vir ingenuus fidem et promissa sociis servavit neque permoveri potuit, ut eam suae rogationis partem, quae ad socios spectaret, tolleret;[96]) itaque defensor plebis a tribunis pl. ac plerisque plebejis stultissime destitutus est.[97])

Jam quaeritur, qua de causa Sp. Cassius postea accusatus et damnatus sit. Atque Dionysius tradit Sp. Cassium, cum legem vi ac manu perferre vellet, Latinos Hernicosque Romam vocasse, ut ea multitudine accita adversarios in comitiis superaret,[98]) Verginium autem alterum consulem socios, cum Romam venissent, ex urbe cedere jussisse. Sed eam rem ne credamus et hoc obstat, quod alii veteres auctores omnes eam ignorant, et altera rei consideratio. Latini enim Hernicique, si a Cassio invitati Romam venissent, postea vero inde per dedecus expulsi essent, quin eam ignominiam non laturi, sed turpia cum Romanis foedera excussuri fuerint, quis dubitat! Sed foedera amicitiaeque permanserunt; quo efficitur, falsam esse illam Dionysii narrationem. Qua majoris momenti est alia ejusdem auctoris narratio. Dicit enim Sp. Cassio crimini fuisse, quod clandestinos coetus fecisset.[99]) Quae narratio cur in dubium vocata sit, non intelligo. Fuit enim vir tenax rei propositae; quam ad perficiendam arcana eum cum singulis hominibus de plebe ac sociis colloquia habuisse credo. Nam caetera, quae de pecuniis armisque clam a Sp. Cassio paratis apud Dionysium inveniuntur, fide digna esse pro certo affirmare non audeam. Qui vero clandestinos coetus domi Sp. Cassii fuisse negant, ii nullam damnationis causam afferre possunt. Quod ex iis quae insequuntur intelligetur.

Ac primum quidem quaerendum est, quibus comitiis populi Sp. Cassius damnatus sit. Nam fraudem a Valeriis in historicorum libros illatam, qua illud de Sp. Cassii patre confictum est, jam supra aperuimus. Atque veteres quamquam nihil certi de comitiis, quibus damnatus est. tradiderunt, hoc tamen significaverunt, etiam plebem in iis comitiis fuisse.[100]) Recentiores vero plurimi hanc

---

[95]) Apud Dionysium sunt vestigia verae traditionis. cf. VIII c. 69: *Λατίνους τε γὰρ ἠξίου τῇ καταγραφῇ τῆς χώρας συμπεριλαμβάνειν καὶ τοὺς . . . Ἕρνικας.* c. 72: *χρὴ καὶ Λατίνους καὶ Ἕρνικας μέρος αὐτῆς λαβόντας . . .* Quae de duabus partibus agri publici false tradita inveniuntur, sunt haec: *οἰόμενος δεῖν ἰσομοίρους ἡμῖν Ἕρνικάς τε καὶ Λατίνους ποιεῖν* (cap. 72) . . . *Ῥωμαίων μὲν μίαν μοῖραν ληψομένων, Ἑρνίκων δὲ καὶ Λατίνων τὰς δύο.*

[96]) Liv. II c. 41. Dionys. VIII c. 72.

[97]) Liv. II c. 42. Dionys. VIII c. 81.

[98]) Dionys. VIII c. 72.

[99]) Dionys. VIII c. 78.

[100]) Liv. II c. 42. Dionys. VIII c. 77: *ὄχλου δὲ πλείστου συναχθέντος εἰς τὴν ἀποδειχθεῖσαν ἡμέραν συγκαλέσαντες εἰς ἐκκλησίαν τὸ πλῆθος* (sc. ad diem dictam) *κτλ.* c. 81: *οἱ δε ἀφα-*

sententiam exploserunt;[101]) censuerunt enim, in vetustissimis annalibus nihil scriptum fuisse nisi Sp. Cassium populi judicio damnatum esse; populum autem fuisse veterem populum vel patricios, non eos, qui postea a regibus in civitatem recepti essent, plebejos; et Dionysii falsam inde ducendam esse sententiam, quod antiquam verborum latinorum significationem non novisset. Sed Niebuhriani, cum gentes tantummodo patricias comitia curiata obtinuisse contra veterum auctorum locupletissimorum testimonia perperam censerent, multis ipsi et amplissimis et efficacissimis erroribus implicati sunt; id quod nuper Mommsenius praeclarissime arguit.[102]) Sed qualiacunque fuerunt comitia curiata, sive patres tantummodo in iis fuerunt sive plebeji sive utrique: hoc credere non licet, Sp. Cassium concilio patriciorum damnatum esse; id quod eadem argumentatio comprobabit, qua supra jam usi sumus et infra utemur. Nam si Sp. Cassius concilio patrum injuste damnatus et crudelissima morte affectus esset, quis dubitat, quin tribuni plebis postea, cum plebes desiderio interfecti Sp. Cassii captus iracundia adversus ejus interfectores exarderet,[103]) Fabium et Valerium quaestores, qui ei concilio praefuissent, arrepturi et apud plebem capitis accusaturi fuerint; praesertim cum tribunos plebis cuicunque viro patricio propter quodcunque crimen diem dixisse constet. Credere igitur licet, eos in homines sibi inimicissimos irae temperaturos fuisse? Nihil vero est apud veteres auctores, quod accusationem a tribunis in Fabium et Valerium factam suspicari permittat. Inde consequens est, non concilio patrum Sp. Cassium damnatum esse, sed comitiis totius populi; id quod a veteribus recte traditum est. Altera autem est quaestio, quae illa comitia fuerint. Atque comitiorum tributorum ratio haberi non potest, quia tum temporis jus accusandorum in iis hominum nefariorum, omnino jus agendi cum plebe tribunis tantummodo plebis erat, Sp. Cassius vero a quaestoribus accusatus est. Curiatisne vero an centuriatis comitiis damnatus sit, a veteribus in dubio relinquitur; omninoque, quibus in comitiis ante XII tabulas de rebus capitalibus actum sit, ab hominibus doctis adhuc ignoratur. Nam „duodecim tabulis sanctum est, ut neque privilegium „irrogari liceret neque de capite nisi comitiis centuriatis rogari.“ [104]) De eo vero tempore, quod decemviratum antecedit, per conjecturam quaerendum est quid verisimile sit. Itaque hos locos comparandos lectoribus proponimus: Pompon. I,

---

νεῖ τε δόξῃ φερόμενοι καὶ βίῳ (h. e. infima plebs) . . . . *πολλὴν ἄνοιαν ἑαυτῶν ἐπὶ τῇ καταδίκῃ κατηγόρουν.* Cassius Dio frg. 19: *Κάσσιος τοὺς Ῥωμαίους εὐεργετήσας ὑπ' αὐτῶν ἐκείνων ἐθανατώθη.*

[101]) Niebuhr. R. G. II p. 190 sq. Vorträge über Röm. Gesch. I p. 259. Göttling. Gesch. der Röm. Verf. p. 276. Peter. Gesch. Roms I p. 152. Schwegler II p. 467 sq.

[102]) Röm. Forschungen pag. 140 sq. 271 sq.

[103]) Liv. I c. 42. Dionys. VIII c. 81. 89.

[104]) Cic. pro Sest. c. 30, 65.

2, § 16. Dig. de orig. jur. (1. 2): „Exactis deinde regibus coss. constituti „sunt duo. — Qui tamen ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege „lata factum est, ut ab eis provocatio esset, neve possent in caput civis Romani „animadvertere injussu populi.“ Cic. de rep. II c. 36, 61: „Qui (sc. decem-„viri) quum decem tabulas summa legum aequitate prudentiaque conscripsissent, „in annum posterum decemviros alios subrogaverunt, quorum non similiter fides „nec justitia laudata. Quo tamen e collegio laus est eximia illa C. Julii, qui „hominem nobilem L. Sestium, cujus in cubiculo ecfossum esse se praesente mor-„tuum diceret, quum ipse postestatem summam haberet, quod decemvir sine pro-„vocatione esset, vades tamen poposcit, quod se legem illam praeclaram ne-„glecturum negaret, quae de capite civis Romani nisi comitiis centuriatis statui „vetaret.“ Alter locus alteri lucem affert. „Praeclara enim illa lex“, cujus tanta jam apud populum esset auctoritas, ut decemvir eam negligere nefas haberet, non nova fuisse videtur, sed eadem quam initio rei publicae liberae latam esse Pomponius loco citato dicit h. e. lex Valeria.[105]) Nam decemviros non novis studuisse legibus, sed omnia instituta, quae usque ad ipsorum aetatem usu et consuetudine sancta et firmata essent, servasse et retinuisse quam maxime possent constat. Itaque opinor comitia centuriata summa judicia non accepisse XII tabulis, sed antea jam inde a lege Valeria exercuisse. Quae opinio alio Ciceronis testimonio confirmatur, quod quanti sit ponderis viri docti nondum satis intellexerunt. Dicit enim de leg. III c. 19, 44: „Tum leges praeclarissimae de XII tabulis trans-„latae duae: quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari nisi „maximo comitiatu vetat. Et nondum inventis seditiosis tribunis plebis, „ne malis quidem, admirandum, tantum majores in posterum pro-„vidisse. In privos homines leges ferri noluerunt . . . Ferri de singulis nisi „centuriatis comitiis noluerunt. Descriptus enim populus censu, ordinibus, aetati-„bus plus adhibet ad suffragium consilii quam fuse in tribus convocatus.“ Quo loco primum dictum est, in XII tabulis illam de comitiis centuriatis legem perscriptam fuisse; deinde, eam a majoribus in posterum providentibus, antequam tribuni pl. seditiosi inventi essent, latam esse. Itaque cum ea quae ante decemviratum sunt tempora seditionibus tribunorum abundasse constet, consequens est, Ciceronem cum illa scriberet ita sensisse eam legem, quae de capite civis Romani rogari nisi maximo comitiatu vetaret, jam ante secessionem et tribunatum plebis valuisse. Etiam Dionysius, quibus locis de causa Coriolani agit, novam rem dicit tum temporis in rem publicam inductam esse, ut etiam comitia tributa de capite civis Romani rogarentur, cum antea more patrio id jus nonnisi penes centuriata

---

[105]) Liv. II c. 8: inde cognomen factum Publicolae est. ante omnes de provocatione adversus magistratus ad populum . . . . gratae in vulgus leges fuere.

comitia fuisset;[106]) facitque eum in contione Volscorum querentem, quod judicium de se centuriatis comitiis, uti more patrio fieri debuisset, non permissum esset.[107]) Itaque qui verba Pomponii et Livii cum verbis Ciceronis et Dionysii comparet, vix dubitet quin P. Valerius Publicola regibus exactis legem tulerit, ut centuriae de capite civis Romani suffragia ferrent. Itaque etiam Sp. Cassius apud comitia centuriata accusatus iisque damnatus est; id quod eo verisimilius est, quia in comitiis centuriatis divites, qui Sp. Cassio propter legem agrariam inimicissimi erant, plurimum valebant. — Jam vero Sp. Cassium reum propterea factum esse constat, quod regnum appetiisset[108]); Livius autem dicit, perduellionis ei a quaestoribus diem dictam esse; itaque is auctor cum caeteris non consentire videtur. Tamen Livii dictum a caeteris non abhorret; verbis enim discrepant, non re. Nam perduellio, quamquam si quis originem vocis quaerit nihil significat nisi actionem perduellis i. e. hostis,[109]) apud veteres hanc ubique habet vim, ut cum quocumque congruat facinore, propter quod capitis supplicium de reo sumendum sit.[110]) Itaque hac in causa nihil interest inter crimen perduellionis et regni affectati. Quam ob rem dubitari non potest, quin Sp. Cassius, quia contra legem Valeriam de sacrando cum bonis capite ejus, qui regni occupandi consilia iniisset, latam fecisse videretur, et accusatus et damnatus sit.

Reliquum est ut quaeramus quid de culpa Sp. Cassii judicandum sit; meritone ac jure an injuria a quaestoribus et populo damnatus sit. Atque veteres auctores praeter unum Cassium Dionem consentiunt omnes, Sp. Cassium re vera de regno occupando molitum esse. Ita Livius et Dionysius judicant, ita Plinius, qui bis in eodem libro dicit, Cassium regnum affectasse.[111]) Etiam Ciceronis aperta est sententia; propria enim ejus in Laelio sunt verba: „quis est, qui

---

[106]) Dionys. VII c. 59: *καὶ τότε* (sc. in causa Coriolani) *πρῶτον ἐγένετο Ῥωμαίοις ἐκκλησία κατ' ἄνδρα ψηφηφόρος, ἡ φυλετική* (comit. tribut.)· *πολλὰ δ' ἐναντιουμένων τῶν πατρικίων, ἵνα μὴ τοῦτο γένηται, καὶ τὴν λοχῖτιν ἀξιούντων συνάγειν ἐκκλησίαν, ὥσπερ αὐτοῖς πάτριον ἦν. ἐν γὰρ τοῖς πρότερον χρόνοις ὅτε μέλλοι ψῆφον ἐξενεγκεῖν ὁ δῆμος, ὑπὲρ ὁτουδήτινος, ὧν ἐπιτρέψειεν ἡ βουλή, ἐκάλουν μὲν οἱ ὕπατοι τὴν λοχῖτιν ἐκκλησίαν* (comit. centur.) *κτλ.*

[107]) VIII c. 6: *δικαστήριόν τε, οὐχ ὅπερ ἦν πάτριον, ἀπέδωκαν μοι τὴν λοχῖτιν . . . . ἐκκλησίαν.*

[108]) Cic. de rep. II, 35, 60: quo in statu rei publicae Sp. Cassium de occupando regno molientem quaestor accusavit eumque — cedente populo morte mactavit; id. Phil. II, 44, 114: propter suspicionem regni appetendi. Liv. IV, 15 propter consilia inita de regno. Val. Max. V, 8, 2 affectati regni crimine. id. VI, 3, 1 suspicio concupitae dominationis. Dionys. VIII c. 77 *ἐπὶ τυραννίδος αἰτίᾳ.* id. c. 87, IX c. 1. 3 *ἐπὶ τυραννίδι.* id. IX c. 51 *ὡς ἐπιχειροῦντα βασιλείᾳ.* id. X c. 38 *τυραννίδι ἐπιχειρεῖν αἰτιασάμενος.* Diod. Sic. XI c. 37 *δόξας ἐπιθέσθαι τῇ τυραννίδι.*

[109]) Cic. de off. I c. 12.

[110]) Zumpt: Criminalrecht der Röm. Republik I, 2 p. 334.

[111]) Plin. nat. hist. 34, c. 9 § 15. c. 14 § 30: Sp. Cassius qui regnum affectaverat.

Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Maelium non oderit.“ [112]) Unus Dio Cassius censet, gentilem suum propter invidiam ab adversariis sibi conflatam, non propter commissum quidquam interiisse; [113]) quod judicium multi auctores rerum Romanarum recentiores defendunt [114]). At Cassii Dionis auctoritatem in hac re non magni pependerim; ipsius enim notitia rerum a Sp. Cassio gestarum neque ex aliis neque e melioribus fontibus fluxit quam quos etiam nos novimus; itaque conjectura illam opinionem consecutus est; causam, cur traditionem spreverit, nescimus. Quod vero a recentioribus ad traditionem refutandam allatum est, vix minimi momenti instar habet. Dicunt enim Sp. Cassium, si regnum concupivisset, a magistratu se non abdicaturum, sed magnis commodis, quae in summa consulis potestate essent, usurum fuisse. Ita qui concludunt viri boni unum obliti sunt. Duo enim erant consules; alterius imperium alteri officiebat: si Cassius consul mansisset, etiam Verginius sibi ipse magistratum prorogasset consiliisque collegae adversari perrexisset. Itaque illa ratiocinatione nihil efficitur; alia via reperienda est, quae indicet, quid de re controversa censendum sit. Atque quinque et viginti annis post reges exactos civem Romanum non modo furentem sed prudentem potuisse regnum vel dominationem cogitare nemo negabit. Florebant enim eo tempore reges in Etruria, in Magna Graecia, tota denique Italia. Ipsi Romani cum per tot annos regium imperium passi essent, libertati nondum assueverant; nimirum maxima pars populi, plebes a patribus vexata, quae pro singulis multos dominos accepisset, regnum non detrectatura esse viro ambitioso videbatur. Huc accedit quod Sp. Cassius vir omnium aequalium fuit illustrissimus, qui ter summum magistratum obtinuisset, opes Romanas bellis et foederibus auxisset, pari apud socios gratia atque apud cives floreret. Tantus autem vir ut de regno instaurando moliretur fieri potuisse nemo non concedat. Et concedunt viri docti, non concedunt Sp. Cassium molitum esse. Hoc tamen verisimilius est; quamquam quibus de causis molitus sit dijudicari non possit. Aut enim vir fuit ambitiosus et spe regnandi dulcissima captus aut tam generosus tantaque virtute praeditus, ut periculis vitae contemptis cum pro salute plebis dimicaret, ne ultimum quidem supplicium vereretur. Fortasse enim hac tantum de causa regem se fieri cupivit ut divisionem agrorum a patribus

---

[112]) Cic. Lael. VIII, 28. cf. XI, 36.

[113]) frg. 19: *ἔκδηλον ὅτι ζηλοτυπηθεὶς ἀλλ' οὐκ ἀδικήσας τι ἀπώλετο.*

[114]) Niebuhr. R. G. II p. 193: „die Faktion, welche Genucius umbringen liess, wird kein Bedenken gehabt haben, Cassius gerichtlich zu morden, wenn es ihr diente;“ sed addit caute: „nur beweist das doch nicht, dass er schuldlos war;“ idem in lection de hist. Rom. (Vorträge über Röm. Gesch.) I p. 260: „nur der allwissende Gott kann darüber (über die Schuld des Cassius) entscheiden.“ At Schweglerus II p. 477 simpliciter dicit: „Es spricht die überwiegende Wahrscheinlichkeit dafür, dass . . . seine Verurtheilung ein Justizmord gewesen ist.“ Engelbregt de leg. agrar. ant. Gracch. p. 59 extr: luculenter apparet virum egregium crudelissima morte injuste affectum esse.

prohibitam per vim adversariis injungeret. Sed quidquid de causis cur regnum affectaverit censetur, hoc persuasum habeo Sp. Cassium regnum affectasse. Quae sententia cum impugnetur, quia tota nostra jam disputatio in defendenda veterum auctorum fide versata est, eandem argumentationem, qua saepe jam usi sumus, etiam extrema disputationis parte adhibebimus. Itaque quis credat tribunos plebis damnationem Sp. Cassii, postea quam desiderium mortui plebem Romanam cepit, si innocentia viri post mortem illuxisset, inultam relicturos fuisse! Eosdem tribunos, qui quemcumque virum patricium propter quodlibet crimen in judicium vocarent, Fabio et Valerio, si quaestores fautorem plebis insontem culpae interfecissent, diem non dicturos fuisse censeamus? Sed dixerit quispiam, viros quaestorios propterea a tribunis plebis non arreptos nec accusatos esse quod non ipsi reum capitis damnassent, sed populus Romanus comitiis centuriatis. Perperam ille quidem. Nam apud Romanos non populus, sed is magistratus, qui comitiis praeest, reum damnat. Itaque rectum est et juri Romano consentaneum, quod invenitur apud Ciceronem: quaestor, inquit, Sp. Cassium cedente populo morte mactavit. Quodsi quaestores populum falsis criminationibus persuasissent, ut Sp. Cassium non liberaret, sed carnifici interficiendum traderet, dubitari non potest, quin tribuni plebis eos, postquam quaestura se abdicaverunt, apud plebem accusaturi fuerint. Sed non accusaverunt, quamquam odio in patres propter divisionem agrorum ab iis prohibitam flagrabant. Itaque non licet suspicionem de morte Sp. Cassii commotam retinere; sed pro certo habendum est Sp. Cassium ut qui re vera regnum affectasset, jure a quaestoribus cedente populo damnatum esse. [115])

---

[115]) Postea quam hanc disputationem typographo exprimendam tradidi, inspexi quartam editionem hist. Rom. Mommsenii, quem non Niebuhrium sed veteres auctores secutum esse gaudeo vol. I p. 282 et 283, quo loco paucis verbis de materia nostra egit. — Silentio praetermisi mentionem a veteribus de frumento a Gelone misso factam (Liv. II c. 41. Dionys. VIII c. 70.) Res enim nihil ponderis habet in judicanda causa Cassiana; neque liquet. Tamen Niebuhrio, qui II p. 190 totam de frumento a Gelone misso narrationem a causa Cassiana separari vult, potius assentiar quam iis, quae Engelbregtius de leg. agr. p. 51 contra Niebuhrium disputavit.

Corrigenda.

p. 10 l. 29 lege digna est.
p. 12 l. 26 — aut Cereri.
p. 13 l. 29 — petiturae.
p. 23 l. 23 — consentiant.